PERKINS LIBRARY

Duke University

Rare Books

DE DISSIDIIS, QVAE NOSTRA HAC TEMPESTATE TANTO CVM TERRORE IACTANT ECCLESIAE NAVEM,

A quo & quibus rationibus hæc ſint exci
tata: &, (quod omnium maximè optan-
dum eſt, atque à Domino Deo precibus
aſsiduis petendum) qua ratione uidean-
tur poſſe componi, Ad uniuerſos uiros
doctos, quarumcunq; illi uel parti
um ſint, uel opinionum, & fra-
tres in Chriſto chariſsi-
mos, pacis Dei
amatores,

Sententia MATHIAE BREDENBACHII
Kerſpenſis, apud Embricam
ſcholæ moderatoris.

*Editio ſecunda iam recens ab authore recognita, cum
noua eiuſdem Præfatione.*

COLONIAE AGRIPPINAE
Excudebatur Gualthero Fabricio W. L.
M. D. LVII.

Amplis. D. Bartholomei Ecclesiæ Bibliotheca.

PSALM. 67.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius.

MATTH. 5.

Beati pacifici: quoniam ipſi filij Dei uocabuntur.

E
RBR
B831D

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI DOMINO GVILHELMO CLIVIAE, IVLIAE, AC MONTIVM DVCI, COMIti Marchiæ, ac Rauenſpurgi, Domino in Rauenſtein, &c. Principi ſuo Clementiſſimo, MATHIAS BREDENBACHIVS Kerſpenſis, ſcholæ Embricenſis moderator, ſalutem ac pacem à Deo precatur.

QVADRAgeſimus nunc agitur annus, Princeps Illuſtriſſime, quòd turbari cœpit Religio, per dulciſſimam hanc patriam noſtram Germaniam. Quam turbationem quæ ſtatim conſecutæ ſint

afflictionum & calamitatum tempeſtates, totus mundus expertus nouit. Quanquam uerò inuictiſsimus religioſiſsimusq́; Imperator Carolus Quintus, nec non Sereniſsimus ſacratiſsimusq́; frater eius Ferdinandus, Romanorum, Pannonum, Bohemiæ, &c. Rex Auguſtus, tuus, Generoſiſsime Princeps, ſocer, unà cum totius huius ſacri Imperij Principibus ac Statibus, nihil toto hoc tempore intentatũ reliquerũt, toties cum tantis ſumptibus ac laboribus in comitijs Imperialibus & conuentibus publicis congregati, adhibitis doctiſsimorum uirorum colloquijs ac diſputationibus, nihil tamen hactenus profectum eſt: adeò ut indies magis magisq́; inualeſcen-

te tempeſtate, ac diſsidiorum ſemper poſterioribus horribilius priori bus intumeſcentibus undis: atque dum inter ſe contrarij ſurgunt & confligunt uenti, mutuò ſe terribiliter collidentibus frangentibusque procellis, omnes iam de ſalute deſperare uideantur. His rationibus factũ eſt, (atque utinam iam factum eſſet, ac nõ indies magis magisque fieret) ut miſer populus in tot ſectas diſcerpatur, ut, non dico iam regioni cum regione, ciuitati cum ciuitate, domui cum domo, ſed ne uni quidem homini cum altero in Fide ac Religione conueniat. Et quia nunquam ſine maximis turbis mota eſt Religio, non eſt mirum noſtra hac tam infelici tempeſtáte, omnia intus &

foris ſeditionibus, proditionibus, bellis, prælijs, & incendijs tumultuari, confligere, conflagrare, & inundare ſanguine. Quibus accedunt genera morborum, & fames tanta, quanta ab hominum memoria audita eſt nunquam. Ad hæc mala primùm ſurgentia, cùm ego iam tum ab adoleſcentia mea inhorruerim, dolorem tamen eorum tunc primùm ſentire cœpi, cùm in hac ſchola iuuentutem docere inciperem, anno uidelicet ab hinc retrò trigeſimo ſecundo. Tunc demum experiebar in ipſa iuuentute, quorſum euaderet iſta Religionis ac doctrinæ innouatio. Conferebam illorum, qui ſuſtinebant retineri in Doctrina, Fide, ac Religione auita,

manſuetudinem cum ferocia & contumacia aliorum, quos afflarât ſpiritus ille innouationis, atque illius licentiæ, quam iſti, falſo nomine libertatis Euangelicæ iactarunt. Videbam timorem Dei, cum omni pietate ac religione, & cum ipſa omnium uirtutum regina charitate Chriſtiana repentè extingui: & in horum loco irarum odiorum'que flammas pluſquam Aetnæas erumpere. Quid multis? Videbam omnia abire in barbariem quandam & impietatem pluſquam Ethnicam: & immanitatem pluſquã ferinã: & inter hæc recordabar ſubinde illius uerbi Domini, Ex fructibus eorũ cognoſcetis eos. Matth. 7. Quarũ rerũ cõſideratione motus,

hanc mihi inter docendum ſemper ſumpſi primam & ſummam curã, ut iuuentutem quibuscunq; rationibus poſſem, in antiqua illa Patrum noſtrorum, & Eccleſiæ catholicæ Fide ac Religione retinerẽ & cõfirmarem. Cuius rei me adeò non pœnitet, ut ex nulla alia nunc in mea hac iam ſeneſcente ætate, maiorem conſolationem & uoluptatem mihi percipere uidear, quàm ex ea. Tã multi mihi undiq; ferè quotidianis epiſtolis gratias agunt, uiri doctrina, uirtute, ac dignitatibus inſignes, quòd ſe per gratiam omnipotẽtis Dei, et ſalutaria doctrinæ præcepta, ab illa peſte in iuuentute ſua conſeruauerim. Interea tamen non deſinit me pungere dolor hic, quem

ex

ex calamitatibus publicis; maximè uerò tam innumerabilium animarũ interitu capio. Dum autem apud iuuentutem in ſchola meo more de his rebus diſſero, & myſticos Pſalmos Dauidis interpretor, perueni ſuperiori æſtate, quæ erat anni ſalutis 1556, ad Pſalmum 57. cuius initium eſt, Si uerè utiq; iuſticiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. In quo Pſalmo explicando, ecce tã multa ſe offerunt ad has res pertinentia, ut in illis enarrandis ipſiſsimas cauſas mihi deprehendere uidear, per quas ſteterit, quo minus hactenus potuerit inter partes coire pax & concordia: præterea quæ ſit uериßima, atq; adeo unica hanc conciliandi ratio. Quam cùm

quantocunq; potui ſtudio penſiculaſ-
ſem & perſpexiſſem, cõmunicaui
aliquot ſummi iudicij uiris: & petij
eorum de eadem ſententiam. Qui
cùm eam non ſolùm probarent, ue-
rùm etiã exhortarentur ſummope-
rè, ut utilitatis publicæ cauſa omni-
bus legendam publicarem, tandem
ſequente hyeme de eadem conſcrip-
ſi libellum. Cùm autem infirmitatis
meæ mihi per omnia conſcius, uere-
rer quid publicè uiri ſapiẽtes ac do-
cti de hoc libello eſſent iudicaturi:
maleuolos autẽ, & factioſæ doctri-
næ defenſores illos nimium pertina-
ces nihil dubitarem multis conuitijs,
inſtigãte diabolo, inſectaturos, non
putaui mihi cõmittẽdum, ut T. I. C.
cui poſt Deum omnia me debere in-
telli-

telligebam, libellum hunc dedicãdo efficerem, ut quicquam eius ſiue calumniæ, ſiue obtrectationis, ſiue cuiuſcunq; alterius incommodi, quod inde poſſet oriri, tui Illuſtriſſimi nominis Claritati aſpergeretur: ſed potius nulli hominum illum dedicãdo, in me unum reçiperẽ, ſolus perferrẽ, quicquid iſtiuſmodi iniuriarum & incõmodorũ artibus ac malitia diaboli, inde fuerit excitatũ. Cæterũ cùm iã libellus typis excuſus prouolaret in publicũ, ſtatim perferũtur ad me multis ex locis doctorũ uirorum epiſtolæ: atq; harũ nõnullæ ex Academijs celeberrimis, præſertim uerò Louanieſi & Coloniẽſi, à maximis in ſacra Theologia uiris ꝑfectæ, quibus illi oẽs uno ore meũ hũc laborẽ,

atq;

atq; de Componẽdis diſsidijs ſentẽtiam probant. Ex altera uerò parte ilicò extiterunt, qui grauiter criminarentur, quòd Martinum Lutherum cum ſua doctrina, uti harum turbarum & calamitatum nobis authorem præcipuum, grauius perſtrinxiſſem. Quanquam uerò illius mei facti ſatis multas ac magnas rationes in ipſo libello reddiderã, tamen quo magis iſtis ſatisfacerem, ſtatim arrepto calamo, cœpi ſcribere illius loci Apologiã: in qua rationibus & argumentis quàm plurimis, ijſdemq; planè irreſutabilibus demõſtro, quomodo Martinus Lutherus Eccleſiæ Dei catholicæ Fidem, Doctrinam, ac Religionem uniuerſam aggreſſus ſit euertere:

quo-

quomodo in ipſa Eccleſia per totã ferè Europam, maximè uerò hanc noſtram patriam Germaniam, turbauerit omnia: quàm nihil uerè cum Eccleſia Dei crediderit, uim & genuinam ſententiam ipſius ſymboli Apoſtolici, quo ſumma Fidei cõprehenſa eſt, abnegârit: & exemplo Arij, uerba eius etiã êditis libris profeſſus, uim tamẽ interea & uirtutem eorum, atq; totius Fidei, mirabilibus præſtigijs hominibus imperitis excantauerit. Hæc cùm ſummæ doctrinæ, & acutiſsimi iudicij uiri (inter quos nõ pauciores quatuor ſunt, qui ſuam doctrinam, & exactiſsimum de talibus rebus, adeoq; ſanctum atq; diuinum iudiciũ præclaris uoluminibus à ſe êditis,

Vide Ruffinum hiſtoriæ Eccleſ. lib. 10. cap. 11.

toti

toti mundo expoſuerunt) iudicarēt me rationibus firmiſsimis, ac planè inexpugnabilibus demonſtraſſe: & rectè cōſtituiſſe, impoſsibile eſſe has turbas ac tēpeſtates cōponere, niſi his de Martino Luthero atq; huius doctrina cognitis et intellectis: ego aūt tuam, Princeps Illuſtriſs. ſingu larē in tuæ Celſitudini ſubiectos po pulos pietatē, atq; hinc natā aſsiduā de componendis hiſce tā pernicioſis diſsidijs, erroribusq; tollēdis, curā & ſolicitudinē iam in multis perſpe xiſſem: animaduerterem autē, hoc tā ſanctum, ſalutare, ac neceſſariū ne gocium, nulla ferè alia re impediri, (multorum etiā, pijs quidem illis, ac bono zelo, ſed non ſecūdùm ſcientiā factis conatibus, in contrariū exeuntibus

tibus

tibus) quàm, *alijs alia de Martino Luthero, atq; huius doctrina uidentur, tũc mihi uiſus ſum rectè & ex officio meo facturus, ſi priorẽ illũ libellum iã denuò, (primæ êditionis exẽplaribus diſtractis) unà cũ ipſa Apologia excudẽdum, probatum iã & cõmendatum, T. I. C. dedicarem. Probatum, inquã, & commẽdatum, non à qbuslibet ex illarũ rerũ imperitiſſimo uulgo, ſed ab excellẽtis doctrinæ uiris, ijsq; ex eorũ numero, quorũ officium eſt ex ordinatione diuina, ac diſtributione donorum quæ eſt à ſpiritu ſancto, iuxta doctrinam Apoſtoli, de talibus cognoſcere ac iudicare. Horum iudicium & approbationem cùm habeam, quorundam etiam ipſorum*

Rom 12. & Epheſ. 9. alijsq; locis.

maximi nominis ſuis proprijs manibus conſcriptum, cum admodum pia atq; beneuola exhortatione, ut in hoc ſtadio, quod auſpice Chriſto ſemel ingreſſus ſum, currere pergam, iam nefas etiam eſſe duxi, hoc ſi quid ſit, quod mihi inter lachrymas precanti ac laboranti, benigniſsimus Deus largiri dignatus ſit, nõ proferre in publicũ, præſertim inſtante hac neceſsitate, atque hoc ipſum tantoperè efflagitante. Vtrunq; itaq; libellum, priorem de Diſsidijs componendis inſcriptum, poſteriorem uerò Apologiam illius loci, qui ab iſtis iniquè fuit reprehenſus, in primis quidem Deo Optimo Maximo, huius tam ardui ac ſancti negocij ſupremo præſidi: deinde

inde tuæ Illuſtriſsimæ Celſitudini, Princeps Generoſiſsime, dedicatū & conſecratum offero, ſuppliciter orans & obſecrans, ut pro tua ſingulari benignitate atq; clementia, tenuia hæc & exigua munuſcula, à ſeruulo T. I. C. ſubiectiſsimo deditiſsimoq́; animo benigno recipias. Ego interea cum omnibus pijs T. I. C. ſubditis, dominum Deum precabimur, ut eandem T. I. C. ab hiſce tam ſæuis tempeſtatibus, (quæ tot Principatus etiam ampliſſimos, nec non potentiſsima quædā Regna, unà cùm ſuis Regibus & Principibus, cū horrore terribili cōcuſſerunt, ac tantū non funditùs euerterunt,) in Maiorum Tuorū, Sanctorum, ac Laudatiſsimorum

Principum, atque totius Eccleſiæ Dei Fide ac Religione conſeruet: ac tandē aliquando poſt haſce tam graues ac diuturnas tempeſtatum tentationes, quibus noſtram in ſe fidem & conſtantiam explorare uoluit, per ſpiritum ſuum bonum, benignum, atq; pacificum, furioſis illis tempeſtatibus, ac procellarum ſpiritibus imperet, ut conquieſcāt, & ex hoc pelago fugiant: nobis autem placidam pacem ac tranquillitatem reſtituat, in uera & orthodoxa Fide, ac Religione pura: in qua ipſius Maieſtatem Diuinam nos omnes unanimiter, quàm diu in his terris peregrinabimur, mutua charitate nos complectentes, ritè pieq; colamus: pòſt hàc autem in illa patria

cœleſti, in illis neq; auribus, neq; oculis, neq; cordibus hominum comprehenſibilibus bonis, quæ præparauit diligẽtibus ſe, gaudio inenarrabili, cum uniuerſa illa ac beatiſsima regni Cœleſtis militia, choris Angelorum, & ſanctorum ſpirituum omnium, hymnis & canticis noſtris laudemus ac celebremus uſq; in æternum. Hoc nobis largiatur idem ipſe Deus pater, cui cum unigenito filio ac ſpiritu ſancto laus ſit, gloria, honor, & imperium, in ſecula ſeculorum.

Amen.

DE DISSIDIIS ECCLESIAE COMPONENDIS,
Mathiæ Bredenbachij Kerſpenſis.

NIHIL tam præclarũ eſt in rebus humanis, uiri doctiſſimi, nihil tam bonum, utile, ac ſalutare, nihil deniq; tam ſanctũ ab optimo benigniſſimoq́; domino Deo generi humano datum, q̊d capitalis ille, ac deuotiſſimus crudeliſſimusq́; hoſtis noſter diabolus non auſit attentare, ut cùm nobis datum ſit ad ſalutem, ipſe nobis ereptum conuertat in occaſionem & laqueum mortis. Hoc cùm in aliĳs quàm plurimis, tum uerò maximè in hiſce noſtris opti

marum artium, adeóq; in ipſis ſa-
croſanctis diuinarum Scripturarum
ſtudijs experimur. Nónne hæc ſu-
perioribus aliquot ſeculis in fœ-
diſſima barbarie, tãquam ſemina
quædam per longam, aſperam, at-
que deformem hyemem in terra
ſepulta iacebant? noſtro autẽ hoc
ſeculo ita reſuſcitata effloruerunt,
ut neſciam, an quod ad hæc ſtudia
attinet, ulla ætas ab orbe condito
cum hac noſtra certare poſſit. Hoc
opinor extra omnem controuerſi-
am eſſe, in hac noſtra Germania
nunquã ita floruiſſe, ut nunc per
annos quinquaginta florent. Ne-
que dubium eſt, quin ea res inenar-
rabilem quandã optimorum fru-
ctuum copiam allatura fuerit Ec-
cleſiæ Dei, niſi Tartareus ille Sa-
tan, ſuis iſtis malitioſis artibus,
hæc

hæc tam diuina ac ſalutaria ſtudia tantis doctorum uirorum diſſidijs, ac pluſquàm hoſtilium cõtentionum pugnis conturbata contaminaſſet: ut, quemadmodum Cicero in quæſtionẽ uocat, utrùm Eloquentiæ ſtudiũ plus boni an mali attulerit Rebuſp. ita nos meritò dubitare poſſimus, utrũ præſtiterit hęc noſtra tã ſpecioſa, nec unquam ſatis laudata ſtudia manere ſub illa barbariei humo ſepulta, an cũ tãtis Eccleſiæ perturbationibus reſuſcitari. Cui nã obſecro tã eſt cornea fibra? cui pectus tã adamãtinum? cui oculi tã inhumani atq; immites, ut non aſſiduis gemitibus, ſuſpirijs, & lachrymis deploret bonum tam inæſtimabile, diuinitùs nobis datum, ab illo peſſimo ſic uiciatum eſſe, ſic uene-

no permixtum, ut plures uideatur necaſſe, quàm erexiſſe? Et quanquàm diſſidia hæc tam grauia, & contentiones tam acerbæ inter uiros doctos in omni genere artiũ & ſcientiarum deforme quiddam habent, atq; his ſtudijs, quibus ingenia hominum miteſcere, affectus ſedari, & mores ad omnes gratias componi debebant, indigniſſimum; nuſquam tamen nocẽt magis grauiusq́;, quàm in ſtudijs ſacrarum Scripturarum, atq; dogmatibus Fidei. Nam in artibus humanis aut binos, aut non ita multos inter ſe committunt in prælium, cæteris cum quadam etiam uoluptate ſpectantibus, & uictori quidem applaudentibus, uicti uerò temeritatẽ irridentibus. Cæterùm in ſtudijs ſacræ Theologiæ,

giæ, in contentionibus de Fide ac Religione longè ſecùs habet, hic enim pertinaces illę contentiones pariunt hæreſes & ſchiſmata, quibus non iam priuatim docti dun- taxat inter ſe digladiantur, ſed malum ſubitò diffunditur in publicū, pacem & concordiam publicam diſſipans, Reges, Principes, & ampliſſimas nationes in funeſtiſſima prælia committens. Vnde obſcu- ratis ueris de Fide ac Religione ſentētijs, conuulſa poteſtate & authoritate eorū quos Deus ordinauit, ut pręſiderent, & ius dicerent in ciuitate ſua, quę eſt Eccleſia, at- que omni diſciplina diſturbata, neceſſarium eſt, ea mala, quę iam per tot annos miſeros nos tam grauiter affligunt, atq; eam rerum hu- manarum faciem, quam nunc om

nes uidemus & exhorreſcimus, conſequi. Hæc cùm ab adoleſcentia mea, ex quo uidebar mihi nõnihil qualiſcunq; iudicioli de illis colligere, in animo meo deplorauerim, idq́; ſemper inter docendum per occaſiones apud ſtudioſam iuuentutem iam per triginta duos, & eò amplius, annos (tam diu enim in hac una ſchola Embricenſi docui, utinam cum tanto fructu, quanto cum deſyderio utilitatis publicæ) teſtatús ſim, & iam in his laboribus ætatem meam propemodum contriuerim, neque adhuc ullum uideam horum tam horribilium malorum finem, imò indies maiora & atrociora diſſidia, cœpi cum inuocatione gratiæ & auxilij Dei ſtudium meum ad hoc conuertere, ut expe-

experirer, poſſem'ne rationem ali quam inuenire, qua hæc tam miſere diſturbata, uideantur poſſe recolligi, atque in ſuum ordinem, unde diſtracta tam deformiter confuſa ſunt, rurſus componi: ut poſt tam tetram diſſidiorum tempeſtatem, tandem aliquando nobis redeat illa tam diu iam deſyderata pacis & concordiæ tranquillitas. Neq; uerò uideor mihi omninò à benigniſſimo Domino ac Deo noſtro repulſus, dum aſſiduis ad ipſum precibus, & quotidianis ſtudiorum laboribus hoc ab illius immenſa bonitate contendo. Nam animo perluſtrata conſtitutione rerum in Eccleſia Dei ab exordio mũdi, uiam uidere uideor, quę certiſſimo compendio nos omnes in priſtinam pacẽ

& concordiam reducere queat. Cùm dico nos omnes, non eos intelligo, qui ſua ipſorum malitia exaſperati pacem nolunt, ſed qui decepti errore ab ea exciderunt imprudentes: nunc autem pio deſyderio ſanctóq; uoto ſeriò ſtudent amiſſam recuperare. His uiam oſtendere conabor, quam ſi uoluerint ingredi, equidem nihil dubito, quin id quod tanto iam tempore per tantas difficultates quærunt, ſtatim ſint inuenturi, ac ſine magnis difficultatibus recuperaturi. Illis uerò nemo poteſt reſtituere, quòd recuſant recipere. Nõ enim eſt pax impijs dicit Dominus. Sed quò manifeſtius hæc uia uideri certiusq; cognoſci poſſit, utrum recta ſit, adeóq; unica & ſola, an alia præter hanc ulla, ne dicam

dicam rectior, poſſit inueniri, ui-
ſum eſt prius quàm de ea dicere in
cipiam, indicare, per quæ deuia,
quo ſeductore, quibusq; dolis ac
technis hoſtis nos ab inuicem di-
duxerit: & quod omnium eſt in-
digniſſimum, illis, quos iam ſedu-
ctos in ſuis illis teterrimis carce-
ribus habet inclusos, perſuadeat
ipſos eſſe in domo familiaq; pater
na, ne uidelicet infœlicitate ſua co
gnita, incipiant cogitare de elabē-
do, atq; eò unde ſeducti ſunt, rede
undo. Quæ dum ea qua poſſum fi-
de, luce, ac breuitate ſtudeo expli
care, obſecro per nomen Domini
noſtri Ieſu Chriſti, omnes quot-
quot hæc uiſuri ſunt, cuiuſcunq;
ordinis, dignitatis, conditionis,
nec non opinionis atq; ſententiæ
illi ſint, ut benignis animis conſy-
derent,

ſyderent, utrùm uera an falſa ſcribam: neq; putent me in ullius hominis aut gratiam aut odium ſcribere, ſed iuſtiſſimo dolore, quem ex his publicis totius generis humani malis conceptum perpetuò mecum circumfero, atq; deſyderio meliorum ardentiſſimo commotum & extimulatũ, hoc quicquid eſt laboris ſuſcepiſſe. Nã cuius obſecro alterius rei gratia me hic torquerem, aut fatigarẽ? Nam ſi tam impius eſſem, ut ad meum quæſtum potius, quàm utilitatem & ſalutem publicam reſpicerem, iam olim hac parte, in qua me Deus hactenus conſeruauit, & (quod mihi de benignitate eius promitto) deinceps conſeruabit, relictaq; in alteram tranſiuiſſem. Non enim in Sacerdotio, ſed in Matrimonio

monio ſum, ut ne pilum quidem bonorum Eccleſiaſticorum neq; poſſidere, neque ſperare poſſim, præſertim dũ in hac parte maneo, quam reclamante iudicio & conſcientia animi mei nõ poſſum deſerere. In contrariam uerò ſi uoluiſſem, aut per eam, quam dixi conſcientiam, potuiſſem tranſire, nõ erant mihi defuturæ conditiones etiam ſplendidæ. Hoc enim ei parti nõ debeo detrahere, quod multò etiam liberalior eſt in bonarum literarum profeſſores, quàm hæc noſtra. Mihi uerò in totum ex hac literarum profeſſione uiuendum eſt: ut ſi uoluiſſem quæſtus mei rationem habere potiùs, quã iuſtioris cauſæ, certè iam olim in illam conceſſiſſem. Dominus Deus me in paupertate mea,

& laboribus aſſiduis ueſtiuit & pa
uit hactenus, idq́; liberaliter. Hoc
illum deinceps facturũ eſſe dum
hic peregrinabor, donec ad ſe reci
piat in patriam, confido. Quod ita
eſſe cùm omnes, quicunq; noue-
runt me, intelligãt & agnoſcant,
non dubito quin facilè me defen-
ſuri ſint à calumnijs, ſi quæ fortè
contra me fuerint exortæ, quaſi
in his reſpexerim aliò, quàm ad id
quod ueriſſimum, iuſtiſſimum, at
que R eip. Chriſtianæ ſaluberri-
mum in componendis hiſce tam
atrocibus funeſtiſſimisq́; in Reli-
giõe diſſidijs iudicauerim. Nullius
hominis iniuſticiam, quantuſcun
que etiam ille ſit, prudens defen-
dam. Abuſus qui per negligenti-
am irrepſerunt in Eccleſiam adeò
non probo, ut aſſiduis lamenta-
tioni-

tionibus & querelis eos ab adole-
ſcentia mea in hodiernum uſq; di
em deplorem : quod facilè teſta-
buntur mihi omnes, quicunq; me
uel docentem audiuerunt, uel ex
familiaribus colloquijs cognoue
runt. Cæterùm hoc lolium ita uel
le extirpare, ut ſimul optimũ ue-
riſſimæ Religionis triticum ex-
tirpetur, id probare non poſſum.
Hic mallem locum habere para-
bolam illam Euangelicam, de to-
lerandis zizanijs uſq; ad tempus
meſſis. Tametſi ſummoperè op-
tandum eſt, ut hìc Epiſcopi, cæ-
teriq; Eccleſiarum gubernatores,
quibus ex officio ipſorum, & or-
dinatiõe diuina iſtiuſmodi rerum
cura incumbit, piè prudenter'que
aduigilent, ut quantum fieri po-
teſt, Religio puriſſima conſerue-
 tur.

tur. Ego nihil aliud hic ſcriptu-
rus ſum, quàm quod pro meo qui
dem, ſi modò hoc ullum eſt, iudi-
ciolo ſentio. In quo ſi quid erro,
puto me uenia nõ indignum: er-
rorem autem illum ſi quis huma-
niter mihi demonſtrauerit, huic,
tantùm abeſt ut ſuccenſere uelim,
ut etiam magnã gratiam ſim ha-
biturus. Quod ſi quis petulantiùs
inceperit inſultare, aut perſtringe
re acerbiùs, feram patienter prop
ter gloriam Domini Ieſu Chriſti,
& pietatem, quam debemus om-
nes illius ſpõſæ Eccleſiæ matri no
ſtræ. Si uerò quæ ſcribo nemo po
terit rectis rationibus refellere,
iam omnibus uiris prudentibus
expẽdendum relinquo, utrùm il-
li qui decepti ſeductí que ab ho-
ſte, hactenus in illius acie contra
Eccle

Eccleſiam Dei pugnarunt, rectiꝰ
ùs facturi ſint, & ſapientiùs ſuæ
gloriæ atque ſaluti conſulturi, ſi
pergant cum Coreh, Dathan, Abi
ron, & ſociꝭs illorum expectare
uindictam Dei, an ſi exemplo
Pauli Apoſtoli reſipiſcentes, Chri
ſtum, quem hactenus in ſua ſpon
ſa ac filiꝭs (errore decepti) per ſe-
quuntur, poſt hac, errore illo iam
à tot atque tantis doctrina ac pie-
tate uiris detecto & indicato, no-
biſcum ſyncerè doceant, pie'que
colant.

Hæc breuiter ſimpliciterq́; prę-
fati, rem ipſam auſpice duceq́; Do
mino Ieſu Chriſto aggrediemur,
principio demonſtraturi ipſum ſe
ductorē hoīem, cuius pfidia ma-
litiaq́; ſuo more abuſus hoſtis Dia

bolus, nos miſeros ita diſtractos tam inenarrabilibus malis, & acerbis calamitatibus inuoluit. Deinde quibus artibus id effecerit, & q̃ atrocia letalia'que uulnera deceptis, diſtractis, & ſuis laqueis irretitis inflixerit. Poſtremò qua ratione ac uia illi, quos ſeductos quidem, illaqueatos, & irretitos, nondum tamen penitus extinctos detinet, poſſint à tam dira tetraq; captiuitate liberari, & Eccleſiæ Catholicæ reconciliari: & quomodo ipſum ouile Chriſti, in quod lupus ille ſæuiſſimus ouilla pelle contectus irrepſit, tantas'que turbas ac ſtrages edidit, ita cõmuniri, & excubijs cuſtodiri, ut illi ſanguinariæ beſtiæ non tam facilis ſit pòſt hàc in illud futurus reditus. Porrò, quò clarius luculentius'q; ſedu

ctoris

ctoris illius imposturas demon-
ſtrem, uiſum eſt imaginem quan-
dam eius ad uiuum expreſſam in
Apologo quodam oſtendere, fe-
ſtiuiore fortaſſis, quàm pro graui-
tate huius argumenti, ſed qui plu
rimum lucis his quæ dicturi ſu-
mus ſit allaturus. Neq; uerò ſine
exemplo, eodemq́; magnis lau-
dibus celebrato hoc fecero: cùm
apud T. Liuium legamus Mene-
nium Agrippam in ſimili cauſa,
hoc eſt, grauiſſimo periculoſiſſi-
moq́; diſſidio componendo, ſimi
li Apologo uſum, idq́; illi tã ceſ-
ſiſſe fœliciter, ut dignum habitũ
ſit, quod æternis Annalium Hiſto
riarumq́; monumentis commen-
datum, ad omnem poſteritatem
mitteretur. Noſter Apologus, ex
illis Aeſopicis deſumptus ita ha-
 bet:

bet: Ouis cùm in puerperio eſſet, ut ſibi nec per religionem liceret, nec per infirmitatẽ ex recenti adhuc partu liberet aut tutum eſſet prodire in publicũ, neq; domi ſatis haberet pabuli pro ſe filijs'q; ſuis, unũ qui iam eſſet adultior, quippè anniculus, ut ſeipſum foris in agro aut ſylua paſcere poſſet, ſi haberet qui ſe cuſtodiret defenderetq́; à lupo. cõmendauit hirco, ut is illum ſecũ educeret paſtum, & à feris, ſi quàm hæ machinarentur uim, defenderet: filio autem agno mandauit, ut ne latum quidem unguẽ ab hirci latere diſcederet, quibuſcunq; etiam oblatis occaſionibus, aut cõditionibus propoſitis. Vterque mandatum recipit: egrediuntur pariter: in ſyluam perueniunt: florentem hic cythiſum, ſa

lices petit alter amaras: ut ſic ſua-
uiter ſeſe reficiant. Ita paſcentes
proſpicit à ſuo latibulo lupus. Et
erat illi quidem iam certiſſima prę
da agnus: ſed reformidat hircum,
hunc enim uidet hirſuto & hiſpi-
do corpore, horrida barba, & mi-
nacibus cornibus ualdè formida-
bilem. Cùm itaq; nihil auderet at
tentare ui, dolis rem agere inſtitu
it, aggreditur agnum his uerbis:
Hei tu infœlix, quis te tam tene-
rum, atq; tot naturæ ingenijq́; tui
gratijs tam amabilem coniunxit
iſti deformi, fœtido, teterrimoq́;
hirco? Quin tu iſto tali hic in ſyl-
ua relicto redis domum ad ma-
trem: quæ te iamdudum dulci la-
cte diſtento ubere expectat? Aſt
ille memor mandati materni, re-
ſpondet lupo: Mater mea, o lupe,

huic me commendauit: huic mei ſeruandi curam iniunxit. Mihi uerò præcepit ne uel tantillum ab eo diſcedam. Matris pręcepto melius eſt me obtemperare, quàm ſubdolis tuis blanditijs fidem habere. Intelligo quid tu captes, nimirùm ut me ab hoc meo cuſtode abductum, tuo iſto rapaci rictu comprehenſum, & ſanguinarijs dentibus diſcerptũ deuores. Vtinam uiri fratres, nos omnes ad illius agni exemplum ſaperemus. Nam prorſus ad eũdem modum ſanguinarius ille lupus aduerſarius noſter Diabolus nobis inſidiatur: omnes dolos ſuos, omnes artes, quibus mille ad nocẽdum inſtructus eſt, ad hoc expedit, ut nos à paſtoribus noſtris, quibus à Deo patre noſtro, & matre Eccleſia, cu

ra no-

ra noſtri eſt commendata, abdu-
cat, & in ſuam poteſtatem pelle-
ctos, ſua illa inexplebili uoracita
te deglutiat. Ad hoc iuxta ratio-
nem nominis ſui calumniarũ ge-
nus nullum omittit, omnia paſto
rum dicta factaq́; obſeruans, ut ſi
quid inueniat quod reprehende-
re queat, quemadmodum lupus
ille grauitatem odoris, & piloſũ
horrorem in hirco, id tanta cum
atrocitate exaggeret atq; amplifi
cet, plurima interim admentien-
do, (ab initio enim mendax eſt,
atq; ipſius mendacij pater) ut im-
prudentibus facilè perſuadeat, ut
à talibus deficiẽtes, ſe ſuosq́; Pſeu
doprophetas, quibus ad hoc per-
ſuadendum abutitur, ſequamur.
Neq; uerò ſingulis duntaxat ag-
nis de Chriſti ouili ſic inſidiatur,

ſed gregibus uniuerſis, & pręcipuè ducibus gregũ arietibus. Hos ſingularibus quibuſdam artibus, inſidijs ac dolis captat: ſic enim circumueniendos eſſe nouit. Nam alioqui ſi deprehendant inſidias, ſtatim in inſidiãtem conuerſi cornu feriunt & ipſi. Quinam ſunt illi arietes? hoc uel Homerus facilè nobis explicuerit, ita ſcribens de Vlyſſes:

Ἰλιάδ. γ. Αὐτὸς δὲ κτίλος ὥς, ἐπιπωλεῖται ςίχας ἀνδρῶν,
Ἀρνειῷ μίν ἔγωγε ἐΐσκω πηγεσιμάλλῳ,
Ὅς τ' οἰῶν μέγα πῶϋ διέρχεται ἀργεννάων.

Quibus uerbis Poëta ſub perſona Priami comparat Vlyſſem uilloſo arieti: quòd quemadmodũ is ouium gregem obambulans luſtrat ac ducit, ita Vlyſſes turmas & cuneos uirorum ſeu militum perluſtraret ac regeret. Sunt itaq; arie-

arietes illi Imperatores, Reges ac Principes: qui ſi palã deprehendant illorum inſidias & ſeditioſos conatus, faciunt quod idem Vlyſſes fecit in coërcendo ſeditioſo Therſite: qui cùm multitudinem ad ſeditionem commouiſſet, Vlyſſes hanc quidem uerbis & uerberibus in ordinem & officium ſuum redegit: Therſiten uerò ſeditiõis authorem, admonitionibus non acquieſcentẽ, ſed in omnes Principes, maximè uerò in regem Agamemnonem dicterijs & conuitijs contumelioſum, ita tanquam generoſus aries cornu ſuo percuſſit, hoc eſt, ſceptro pulſauit, ut totum uibicibus, tuberibus, & ſanguine manantibus plagis oppleret: ubi inter alia multa quibus commotã multitudinẽ cõpeſcebat, hãc pla-
nè

nè diuinam ſententiam his uerſi-
bus extulit:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ.

Quibus hoc dicit ſub Vlyſſis perſona Poëta, nunquàm probã-dum eſſe multorum principatum in Republica, ſed optimum eſſe ut unus ſummum habeat Imperi-um, cui omnis multitudo obtem-peret. Erant quidem in Græco-rũ exercitũ reges & princeps mul-ti: uerùm ſumma rerum fuit pe-nes unum Agamemnonem. Sunt itaq; principes tãquam arietes in grege Dominico: quos Diabo-lus nouit eo quem geſtãt gladio ſuis Pſeudapoſtolis & Pſeudo-prophetis eſſe ualdè formidabi-les, tanquam arietes, & caprum il-lum Aeſopicum toruitate cornu-um

um lupis: ideò ſuas artes expedit omnes, ut hos decipiat, hos ad ſe pellectos unà cum ipſo grege non ſolùm à ſuis paſtoribus abducat, uerùm etiã in ipſos paſtores, perſuadens eis hos eſſe lupos, incitatos immittat. Poſſumus'ne hoc inſigni aliquo exẽplo demonſtrare? Poſſumus utiq;, nec eo quidẽ ignoto, ſed iam ante annos plus mille toti terrarum orbi notiſſimo. Fuit temporibus Conſtantini maioris Imperatoris religioſiſſimi, laudatiſſimi'q;, hoc eſt, arietis generoſiſſimi in ouili Dominico, impius hęreticus Arius, preſbyter Alexandrinus (ſi modò fas eſt ſcelus illud nominare presbyterum) ſpecie magis & forma, q̃ uirtute religioſus, ut de illo ſcribit Ruffinus libro 10. Hiſtoriæ Eccle

Arius hæreticus.

ſiaſti

ſiaſticæ: ſed gloriæ laudiſq; & no-
uitatis improbè cupidus, hoc eſt,
ſub ouina pelle lupus inſatiabilis.
Cumq; eſſet ingenio uafro, eo-
demq; literis haud uulgariter ex-
culto, putauit ſe nulla ratione alia
cõmodiùs poſſe ſubintrare in o-
uile, atque ouium oculos, quò ſe-
cùm lupus eſſet, etiam pro paſtorē
reciperent, perſtringere, quã ſi no
ui aliquid dogmatis de Fide Chri
ſtiana excogitaret, hactenus inco
gnitũ cæteris Presbyteris & Epi-
ſcopis: maximè autẽ ſuo Epiſco-
po Alexandro, quẽ ſine liuore ui
debat omnibus ob inſignem do-
ctrinam & uirtutẽ eſſe admiratio
ni. Huius itaque admirationem &
gloriam obſcurare ſtudebat: aut
ſi qua ratione poſſet, ab illo in ſe
transferre. Nam hac ratione futu

rum

rum ſperabat, ut omnes dicerẽt, nunquàm extitiſſe doctiorem, & in Scripturis diuinis, atq; harum myſterijs explicandis exercitati- orem presbytero Ario. Excogi- tauit itaque dogmata quædam, ut om̃ibus retrò ſeculis inaudita, ita impietatis & blaſphemiæ plena, de Filio Dei, nõ eſſe hũc neq; ęqua lem, neq; conſubſtantialem Patri: ſed meram creaturam, neque per- fectè nouiſſe Patrem, neque eum perfectè uidere poſſe: ac ne ſuam quidem ipſius ſubſtantiam rectè nouiſſe: mutabilem eſſe, & uirtu- tis malitię́que capacem, ſicut cæ teras creaturas. Hæc atque id genus alia blaſphemiarum por- tenta ſceleſtus ille non dubita- uit populo tanquàm ueram & Euangelicam doctrinam propo- nere

Arij dog mata.

nere & perſuadere. Neq; deerant ei uerba Scripturæ diuinæ, quæ do loſè ad id accommodaret: quemadmodum nulla unquàm extitit hæreſis, quæ non tegeret ſe ac tanquàm ueſtiret uerbo Dei, ſed in alienum & impium ſenſum callidè detorto. Hoc enim diſcunt à patre ſuo Diabolo: qui hac arte etiam ipſum filium Dei auſus eſt adoriri: Si filius Dei es, inquit, mitte te deorſum. Scriptũ eſt enim: Quia Angelis ſuis mãdauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuũ. Ad eundem modum Arius id q̊d dixit, filium Dei non eſſe eiuſdem cum Deo patre ſubſtantiæ, ſed meram creaturam, ueſtiuit hoc uerbo: Dominus creauit me initio uiarum ſuarum, in opera ſua, & ante

Heretici Scriptura ſe tegunt.

Matt. 4.
Pſalm. 90.

ante ſecula fundauit me, ante om
nes colles genuit me. Item illo q̊d
eſt apud Ioannem: Quia pater ma *Ioan. 14.*
ior me eſt. Illud autẽ quod ait Fi-
lium habere imperfectam cogni-
tionem, putauit (opinor) ſe proba-
re illo, quod apud Marcum legi- *Mar. 13.*
mus: De die autem illo, uel hora,
nemo ſcit, neq; Angeli in cœlo, ne
que Filius, niſi Pater. Huiuſmodi
locos è Scripturis diuinis deprom
ptos, ita fucis lenociniisq́; uerbo-
rum & Sophiſmatũ argutiis tra-
ctare didicerat, ut audientes, non
ſolùm indocti & imperiti, uerùm
etiam multi inſignes doctrina ui-
ri, putarent ſe audire ipſiſſimum
uerbum Dei, cùm nihil aliud audi
rent, quàm horrendas blaſphemi
as, arte Diabolica, Scripturæ diui-
næ cortice, hoc eſt, occidẽte litera

Argumẽtorũ Arij dilutio.

(ut uocat Apoſtolus Paulus) te-ctas & commẽdatas. Neq; enim tam erant exercitati in Scripturis diuinis, ut intelligerent eſſe aliquã ſapientiã in natura Angelica, quæ ſtatim in ipſo creaturarum initio creta eſt; ut li. 2. Sentent. diſt. 2. ex Eccleſiaſt. cap. 1. citatum & expli-catum legimus. Aliam uerò ſapi-entiam, quę eſt ipſe Deus, neq; cre atam, neq; factam, ſed genitam, coæternam & coæqualem ipſi qui genuit Patri: & hanc ſapientiam eſſe ipſum Filiũ Dei. Neq; didice-rant linguam Hebræam, ut ſcirẽt illud Salomon. prouerb. 8. Domi-nus creauit me, &c. iuxta proprie tatẽ ſermonis Hebrei uertendum fuiſſe, Dominus poſſedit me initi-um uię ſuę, ante opera ſua ex tũc. Quomodo ſi translatum fuiſſet;

iam nulla fuiſſet occaſio ex illo quidem locō, tam execrandi erroris: ſed quiuis, dummodò non omninò ſtupidus aut ſupinus lector, intellexiſſet, Salomonem illis ipſis uerbis diſertè hoc tribuere Filio Dei, hóc eſt, ſapientiæ Patris, quòd ab æterno fuerit cum ipſo Patre, antequã ulla fieret creatura. Porrò quod apud Ioannem ait: Pater maior me eſt, uel ratione humanæ naturæ intelligi poteſt: qua nemo dubitat illum eſſe minorem Patre: & qua etiam creatus uerè dici poteſt: uel, ut indicat Gregorius Nazianzenus, etiam in ipſa coæterna ſua æqualitate, q̃ ab æterno in æternũ habet cum Deo patre ratione diuinæ naturę, tamẽ ratione perſonę minor dici poteſt Patre, eò quòd Pater

tanquàm genitor, fons ſit, origo, & cauſa geniti Filij, etiamſi is ſubſtantia & æternitate diuina per omnia ſit Patri æqualis, & unus cũ Patre Deus. Iam quod apud Marcum ait, de die illo, & hora neminẽ ſcire, neque Angelos in Cœlo, neq; Filium, niſi Patrẽ id Chryſoſtomus, Hilarius, Auguſt. alijq; uiri ſancti, & in Scripturis diuinis exercitati, docent per tropum eſſe dictum. Neſcire enim nobis dicitur Filius, quod nõ docet nos, ꝙ celat nos: quemadmodum è contrario ad Abrahã dixit: Nunc cognoui quod timeas Deum: Cognoui, inquam, id eſt, te per experimẽtum id docui. Nam Deus hoc etiã antè cognouerat. Videtis uiri doctiſſimi, & chariſſimi in Chriſto fratres, quanta ſit impoſtura

Gene. 22.

Diaboli,

Diaboli, atq; huius Pſeudapoſto-
lorum & Pſeudoprophetarum in
citandis Scripturis diuinis: & quã
exercitatos ſenſus oporteat habe
re illum, qui uolet per illorum la-
queos ita ingredi, ut non illaque-
etur, hoc eſt, illorũ libros legere,
& conciones audire, ut tamen nõ
ſeducatur, non decipiatur. Cæte-
rùm de impoſturis Pſeudoprophe
tarum noſtræ ætatis dabitur alius
dicendi locus: nunc perſequamur
ea, quę de Ario narrare cœpimus.
Is cum iam artibus iſtis ſuis diabo
licis plurimos, non ſolùm ex im-
perita plebe, uerùm etiam ex cle-
ro, adeóq; aliquot nõ obſcuri no
minis Epiſcopos, in ſuas illas blaſ
phemas opiniones induxiſſet, im
mani tempeſtate Eccleſiam Dei
conturbauit. Hanc tempeſtatem

religioſiſſimus Imperator Con-
ſtantinus, pro ſingulari ſua in De-
um & Eccleſiam eius Religione
ac pietate, ſummo ſtudio, maxi-
mis'que impenſis aggreſſus eſt ſe-
dare: atque ad eam rationem con-
fugit, quæ ſola talibus malis cu-
randis remedio eſſe ſolet: hoc eſt,
ad conuocandum Concilium. Eſt
Nicea Bithyniæ urbs. in Bithynia iuxta lacum Aſcani-
um, ut inquit Strabo, urbs cla-
riſſima, Metropolis, olim Anco
ra, deinde Antigonea appellata,
ab Antigono Philippi filio: po-
ſtremò à Lyſimacho de nomine
uxoris filij Antipatri Nicea uo-
Concilium Nicenum. cata. In hanc urbem, quod & ſi-
tu & fertilitate loci, & amplitudi-
ne ſua ad eam rem uideretur eſſe
commodiſſima, Imperator opti-
mus conuocat ex toto terrarum
orbe

orbe Epiſcopos: qui conuenerunt illuc numero trecenti & octodecim, cum ingenti multitudine doctiſſimorum uirorum, ut de controuerſijs in Fide ab Ario excitatis audirent, cognoſcerent, & ſententias ferrent. Ab his itaque condẽnatus Arius, & ab Eccleſiæ corpore tanquam putridum & peſtilens membrum reſectus, ab Imperatore eiectus eſt, & in exilium pulſus. Patres autem illi priuſquàm diſcederent, unanimiter cõſcripſerunt Symbolum ſeu formam Fidei, diſertis uerbis profitentes, Dominum Ieſum Chriſtũ eſſe Filium Dei unigenitũ, ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum uerum ex Deo uero, genitum non factũ, cõſubſtantialẽ Patri, per quẽ omnia

Arius damnatus.

Symbolum Concilij Niceni.

facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. His ita geſtis atque authore diſſidiorum iam profligato, pax uidebatur eſſe reſtituta Eccleſiæ. Sed ſopitum erat magis quàm extinctum incendium: ſerpebat adhuc per occultas uenas ille cancer: fur ille & latro mutata ueſte in ipſa domo, in media familia, tanquam unus ex domeſticis uerſabatur. Nam attendite, quæſo, uiri fratres, attendite, inquam, quibus artibus ille ſceleſtus in priſtinū locū redierit: quomodo etiā ipſi Imperatori, quantūuis oculato, quātumuis prudenti, quātumuis pro Chriſti ouili uigilanti & excubāti, ueterator ille impoſuerit: ut uidelicet ex uno cognoſcatis oēs. Quin etiam omnes Reges ac Principes exemplum hoc obſeruent, & in

memo-

memoria retineant, ut ſciant quã
toperè ſibi à talibus cauẽdum ſit.
Videamus per quem cuniculum
Arius eò, unde erat expulſus, rur
ſus irrepſerit. Erat Imperatori ſo-
ror, nomine Conſtantia, uidua q̃ *Conſtãtia ſoror Imperatoris.*
in matrimonio habuerat Licini-
us. Huic ſe inſinuauit presbyter *Dolus preſbyteri Ariani.*
quidam, de hæreſi Ariana: ſed cal
lidè diſſimulans ſectã, donec iam
ſentiret ſe illi tam familiarem eſ-
ſe factum, ut ſine ſuo periculo poſ
ſet uenenum, quod ſcelerata men
te conceperat, in ineſcatæ iam Re
ginæ ſinum effundere. Porrò hoc
ubi ſenſit, incipit inter cætera col-
loquia facere mentionem Arij, cũ
doloſis ſuſpirijs conquerens, ini-
quis ſententijs, & iniuſtiſſimo iudi
cio condemnatum eſſe ab Epiſco
pis; & in exilium ab Imperatore

miſſum. Fuiſſe illum ob inſignem doctrinam & gratiam uerbi populo Alexandrino charum: hanc gloriam illi inuidiſſe Alexandrũ Epiſcopum: & falſis conflatis criminibus effeciſſe, ut à Concilio condemnatus eijceretur. Hæc facilè perſuaſit credulæ fœminæ ſceleſtiſſimus calidiſſimusq; hypocrita: quippè cuius animum iam ſuis illis hypocriticis pręſtigijs ita incantauerat faſcinauerat'que, ut illa crederet ſcelus illud eſſe uirum etiam ſanctum. In hoc errore dum perſtat Conſtantia, incidit in morbum, eundem'que letalem. Cum`que iam eſſet uicina morti, uiſitareturq; à fratre ſuo Conſtantino, & blandè religioſeq; ab illo ex more compellaretur, extremã dicitur ab eo gratiam popoſciſſe,

ut Presbyterum illum in familia-
ritatē reciperet: & quæ ſibi ab eo
pro ſpe & ſalute ſuggererētur, au-
diret: ſe quidem iam ex hac luce
diſcedentem nihil curare: pro fra-
tris uerô ſtatu eſſe ſolicitã, ne for-
tè pro innocentium pœnis, Reg-
ni ſui pateretur excidium. Quibus
ille monitis à ſorore ſuſceptis (ut
Ruffini uerbis utar) & fidelem
pro ſe Germanæ ſolicitudinem
credens, accommodauit aurem
Presbytero: & interim reuocari
ab exilio Arium iubet: ut quem-
admodum de Fide ſentiret, expo
neret. Ille uerò iam ab exilio re-
uerſus, tanta arte doloque ſuam
perfidiam conſcripſit, ut cùm ſen
tentia λίς λια πασῶν ab illa Fide,
quam patres in Concilio Niceno
ediderant diſtaret, eiſdem tamen
uerbis

Arius ab exilio reuocatur.

uerbis cum illis uti uideretur. Mi-
ratus quidem eſt Imperator, exi-
ſtimãs nihil intereſſe inter Fidem
Arij, quam ibi conſcripſerat, atq;
illam patrum nuper in Concilio
editam. Nihil tamẽ interea remit
tit de ſua illa, Imperatore Chriſtia
no digna, prudentia: ſed ſuo iudi-
cio de rebus ad Epiſcoporum cen
ſuram pertinẽtibus diffidens, Ari
um cum ſua illa perfidè conſcripta
Fide ad Epiſcopos denuò exami-
nandum mittit, qui iam frequen-
tes conuenerant Ieroſolymam,
ad ſolennem dedicationem tẽpli,
ſcripto ab eis petens, ut ſi ſentirẽt
illum uel iniquo iudicio tunc fuiſ-
ſe damnatum, uel correptione il-
la emẽdatum, nunc rectè credere,
clementiori erga eum iudicio ute
rentur: ita tamen ut non citra aſ-
ſenſum

ſenſum Alexandri: quem conſta-
bat multis nomnibus laudatū ei-
us Eccleſiæ, quam repetebat Ari-
us, eſſe Epiſcopum. Nihil itaq; Im
perator optimus contra huius au
thoritatem fieri uolebat. Quantū-
uis autem circunſpectè ageret Im
perator, artibus tamen Diaboli &
Pſeudapoſtolorum eius eſt circū-
uentus. Accidit enim ut in illo cō
uentu Ieroſolymitano eſſent E-
piſcopi aliquot, qui condemnatio
ni Arīj, atq; editæ in Concilio Fi-
dei fictè ſubſcripſerant: inter q̊s e-
rat pręcipuus & anteſignanus Eu
ſebius Nicomedienſis. Ab his qui *Euſebius Nicomedienſis.*
dem facilè receptus eſt Arius, &
iuſſus redire Alexandriam, & ad
priſtinam ſacerdotīj functionem.
Cæterùm Alexandrię quòd nimis
eſſet nota perfidia eius, nequaquā
recep-

receptus eſt: ſed ab Eccleſiaſticis muneribus, uti cōdemnatus totius Eccleſiæ iudicio hæreticus exclusus atq; prohibitus. Intereà dū hæc Alexandriæ geruntur, Imperator Conſtantinus moritur, duobus filijs, Conſtante in Occidente, Conſtantio uerò in Oriente, teſtamento ſucceſſoribus in Imperio ſcriptis. Hoc teſtamentum commendauit eidē illi Presbytero, ſacramento hominem aſtringēs, ne cuiquam illud pręterquā Conſtantio filio, qui tunc aberat, in manus traderet. Hinc itaq; ſceleſtus ille nouā occaſionē uerſandi dolos ſuos eſt nactus. Nā tradito illo teſtamēto, tanq̃ ingenti aliquo beneficio ita ſibi deuinxit Conſtantiū, ut is q iā eſſet Imperator, ſuſtineret ſibi oīa imperari ab uno illo Pſeudopres-

presbytero: ac tandem amplexus hæreſim Arianã, ex Imperatore, qui debebat eſſe protector Eccleſiæ Dei, factus ſit immanis tyrannus, atq; ſęuiſſimus eiuſdẽ Eccleſię hoſtis. Ecce ſic ille Satan, ille, inq̃, lupus arietem gregis decepit: ſic illum incantatum trãsformauit, ut ex ariete faceret lupum. Hanc occaſionem nactus Euſebius ille Nicomediẽſis, quem ex paſtore iam fecerat lupum, atque Imperatori per illum Pſeudopresbyterum factus familiaris, aggreſſus eſt Concilij Niceni decreta reſcindere, Arium in Eccleſiam Alexandrinã, non ſolùm inuito, uerùm etiam expulſo Alexãdro Epiſcopo introducere. Sed De⁹ exauditis precibus ſancti Epiſcopi, quas per totam noctem ad altare prouolutus

cum

cū multis lachrymis fuderat, por-
tentum illud miraculoſa morte è
medio ſuſtulit. Cùm enim Arius
ſtipatus Euſebio, aliȷ́sque multis
ſuæ ſectæ Epiſcopis, & magnà po
puli turba peteret Eccleſiam, ecce
repentè cœpit urgeri uentris one-
re: ad quod deȷ́ciendum cùm ſece
deret, unà cum ipſo onere uniuer-
ſa inteſtina deiecit, ſimulq́; fœdiſſi
mam illam ſuā ſceleratiſſimamq́;
animam efflauit. Hic magno qui-
dem pudore confuſi ſunt Euſebi-
us cæteriq́; illius ſectę, quòd Deus
tam inſigni miraculo uindicaſſet
ſceleratiſſimos ipſorum conatus:
non tamen propterea reſipuerūt,
ſed ſtatim abſterſo pudore illo,
per eunuchos Imperatoris, quos
iam antè deceptos in ſuam perfi-
diam pellexerant, procurarūt, ne
reſciſce-

reſciſceret Imperator miraculũ: ſed perſuaderetur, communi genere mortis Arium fuiſſe extinctum. Ita Imperatore in errore retento, hoc effecerunt, ut grauiſſimas in Eccleſiam, & fideliſſimos quoſque Eccleſię antiſtites, perſecutiones faceret: maximè uerò in ſanctum illum Athanaſiũ: à quo ſceleſti illi non parũ ſibi metuebant, quod ſcirent uirum eſſe ingenio atq; doctrina ſummum: animo uerò eo, qui nullis minis, periculis, tormentis, ac ne ipſa quidem morte à defenſione ueritatis depelli poſſet. Vnde facilè coniectarũt, ſi huius uirtutes innoteſcerẽt Imperatori, ut admitteretur ab ipſo Imperatore ad familiaria colloquia, tũc futurum eſſe, ut ipſi cũ ſuis impoſturis ſtatim proditi eijcerentur, *Athanaſius.*

rentur, profligarenturq́;. Hoc itaque ne fieret, excogitarũt aliquot enormia crimina, quę uiro ſanctiſſimo impingerent, Imperatoriq́; perſuaderent, eſſe hominem omnium flagitioſiſſimum: nempe ꝙ Arſenium lectorem ſuum crudeliter trucidaſſet: ꝙ mulierem quandam hoſpitẽ ſuam ui conſtupraſſet: & neſcio quæ alia, ut narrat Ruffinus Hiſt. Eccle. lib. 10. ca. 16. & 17. Agnoſcis quiſquis es Chriſtiane lector, lupi in hircum, iuxta noſtrum Apologũ, iuxta Eccleſię uerò loquendi conſuetudinem, paſtorem optimũ, maledicta & conuitia. Iam uerò quantumuis ſe Athanaſius ab his ita defenderet, ut omnes intelligerẽt, eſſe non modò falſiſſima, uerũ etiã impudẽtiſſima impientiſſimaq́; mẽdacia, Ar

ſenio,

ſenio,quē illi occiſum dixerāt,ex-
hibito uiuo ſaluoq́; : muliere autē
pro Athanaſio presbyterū alium
indicante tanquam authorem ſtu
pri,quē putabat eſſe Athanaſium:
illi tamē nihilominus alijs artibus
& calumnijs excogitatis,Impera-
torem retinuerunt in errore: atq;
eò induxerunt,ut Athanaſiū Epi
ſcopum per omnia ad ſupplicium
quæreret: hoc eſt, Arietē in ſuum
paſtorem incitarunt. Is autem fu-
git ad Conſtantem fratrem Con-
ſtantij, Occidentalis Imperij ſcep-
tra tenentem: & in orthodoxa Fi
de, Eccleſiaq́; catholica conſtantiſ
ſimè perſeuerantē. Iam nimis lon
gum fuerit narrando perſequi cæ-
tera,quanti, & quā horribiles mo
tus,quam acerbę calamitates inde
ſint cōſecutę: quòd Conſtātius ita
 dece-

deceptus,ſeductus,atq; euerſus ab illo Pſeudopresbytero,& ab aliȷ̃s impȷ̃s hominibus in errore retentus,ad ſaniorē mentem redire nō potuit: quæ omnia uidere eſt in reliqua hiſtoria Eccleſiaſtica. Ego hæc principia quàm potui breuiter ac luculēter perſtrinxi, ut exhiberem exemplum, in quo tanquam in ſpeculo uideant omnes, quibus artibus, quibus dolis, ille Satan uiris Principib⁹ inſidietur: quomodo hos uenetur,& quanta ſit generis humani ruina atq; calamitas, ſi uel unum horū illaqueatum capiat. Per unum Pſeudopresb. irrepſit in animum Conſtātiæ, per hanc in animum fratris eius Conſtantini,quantumuis optimi Chriſtianiſſimiq; Imperatoris. Hinc autem in filium huius

Conſtantium, patris in Imperio Orientali ſucceſſorē. Porrò Conſtantium, fretus opera eiuſdem illius hypocritæ presbyteri, totum euertit, ex optimo Principe ſæuiſſimum tyrannum faciēs: per quē Eccleſiā Dei inenarrabilibus malis afflixit. En uiri doctiſſimi, ac fratres in Chriſto chariſſimi, hoc exemplum cùm nos omnes, tum uerò in primis Principes doceat, quantoperè his ab iſtiuſmodi hypocritarum inſidijs ſit cauendum. Tametſi quid opus eſt ex antiqs hiſtorijs iſtiuſmodi exempla repetere? Quaſi uerò non ſint, heu nimis multa, nota, & inſignia quæ iam intra proximos quadraginta annos acciderūt in noſtra hac Germania. Quot, quantos, & q̃ generoſiſſimos laudatiſſimosq́; Prin-

 cipes,

Martinus Lutherus. cipes, addo etiã potẽtiſſimos Reges, ille tartareus hoſtis, per unũ ſuum Pſeudoprophetam deceptos euertit? q̃ innumerabiles, inenarrabiles, acerbiſſimas funeſtiſſimasq; & inextricabiles calamitates per unum hominem euerſum inuexit in hunc terrarum orbem? Ad huius ulceris contactum uereor multos commotum iri, quibus ille deceptis perſuaſit doctrinã ſuam nihil aliud eſſe quã Euangelium. Atqui hic eſt ille locus affect⁹ (ut medici de morbis curandis loquuntur) à quo huius tam grauis morbi curationẽ incipere mihi neceſſariũ uidetur. Nam qua ratiõe alia recuperabimus ſanitatẽ cõcordiæ, q̃ ut indicato diſſidiorum authore, & quib⁹ rationibus ille hæc excitarit: ut his cognitis, & è medio

dio ſublatis, cōtraria remedia ad-
hibeamus? Neq; tamen mihi pro-
poſitum eſt totam uitam atq; do-
ctrinam Martini Lutheri explica-
re (hoc enim immenſi operis fue-
rit, nec huius inſtituti, neq; mea℞
uirium) ſed pauciſſima quædã, qui-
bus ille maximè turbauit Eccleſi-
am, indicare illis duntaxat, qui-
bus non uacat magna illa uolumi
na perlegere. Cætera enim iã ante
multos annos magnis & prẹclaris
uoluminibus demonſtrarunt ui-
ri doctrina & pietate præſtantiſſi
mi: inter quos uel primarius fuit
ſanctus ille Ioãnes Fiſcherius Epi
ſcopus Roffenſis. Quem ſi uoluiſ
ſet audire Anglia, nunquã in tam
acerbas calamitates incidiſſet. At-
que utinã nos oẽs ſtatim ab initio
illũ tãtũ doctrina ac pietate uir℞,
 aliosq;

alios'que huic non diſſimiles,ſuſti nuiſſemus audire. Nam hac ratio- ne factum fuiſſet,ut non uidiſſe- mus dulciſſimam hãc patriam no- ſtram Germaniam diſſidĳs ita di ſtractam, incendĳs uaſtatam, cæ- de & ſanguine inundantem: ſic de niq; conturbatam, ut niſi Deus no ſtri miſertus has tempeſtates com ponat ſtatim, atrociora etiam ſint metuẽda. Non deerant nobis, qui fideliter hoſtem & inſidias eius in dicarẽt: qui grauiter admonerẽt, ut nobis caueremus: ſed ille nobis oculos pariter, aures, ac mentem excantaſſe uidebatur, ut nec ui- dere, nec audire, nec credere recta monẽtibus ſuſtineremus. Epiſco pus Roffenſis propter excellen- tiam doctrinæ & uirtutis admira- tionem diſſimulatus magis uide-

tur,

tur, quàm ſpretus, huius enim ſcriptis nemo, quod equidem ſciam, quicquam reſpondit. è cæteris plerique ludibriis excepti ſunt, & acerbiſſimis conuitiis repulſi. Multi etiam, quemadmodū ille Epiſcopus, diſſimulati. Eraſmus Roterodamus. tametſi propter excellēs ingenium, idq́ue omni ſtudiorum genere inſigniter excultum, omnibus eſſet admirationi & charus, tamen cùm nos horum malorū admoneret, hunc hoſtem indicaret, quid is machinaretur prædiceret, non eſt receptus, non eſt auditus: ſed cum indignatione etiam, nec ſine cōuitiis repulſus. Nota ſunt, quæ de doctrina Lutheri, & cæteris ſectis hinc pullulantibus ſcripſit. Vnum mihi hoc loco libet referre, quod ille in epiſtola quadā

ſcripſit ad Conradum Gocleni-
um, cuius ἀυτόγραφον mihi exhibu-
it uir doctrina & uirtute inſignis
D. Iohannes Voſs Altenanus,
Decanus Cliuenſis, in bibliothe-
ca Goclenij repertum poſt mor-
tem eius, quod eſſet executor te-
ſtamenti. In ea epiſtola hæc ſunt
uerba Eraſmi: Doleo iſtic tã mul-
tos infectos nouis dogmatibus:
Lutherum ex ipſius ſcriptis depre
hẽdo uirum eſſe ſceleratiſſimum:
Zuinglius & Oecolampadius pla-
nè tyrannidem affectant. Quot-
quot ſe ſemel illis ſectis addixe-
runt, exuunt prorſus hominem.
Ecce hoc eſt in ea epiſtola doctiſ-
ſimi illi⁹ Eraſmi de Luthero, Zuin
glio, & Oecolampadio iudicium.
Cùm itaq; tot atq; tam excellen-
tes doctrina ac pietate uiri, ſic ui-
tam

tam atq; doctrinam Lutheri con-
dẽnauerint, nulla ratio eſt, quòd
quiſquam indignè ferat, me pauca
quædam eius attingere, ut oſten-
dam quibus rationibus ille perfe-
cerit ea, quibus tam multa homi-
num millia tam miſerè perierunt:
atq; utinã hoc ſolùm quantum ad
hanc uitã attinet, & nõ etiã quan-
tum ad illam futuram: & quæ nos
oẽs adhuc tam grauiter conturbãt
atq; contriſtant. Quod ad uitam
eius attinet, duo duntaxat attin-
gam, eademq́ue minimè obſcura,
ſed toti terrarũ orbi adeò nota, ut
nemo qui uel nomẽ eius audiuit,
ignoret. Nã hæc cũ impoſſibile eſ
ſet eũ cęlare, aggreſſus eſt editis li
bris etiã cęteris hoĩb⁹ perſuadere,
nihil in his eſſe peccati. Qua ratio
ñ ꝯuel maximè turbauit Eccleſiã.
ii   Vo-

Voluit enim ea, quæ nulla ratio- ne nec celari, nec defendi potue- runt, multitudine peccantiũ ob- ruere, q̊ minus appareret qualia eſſent: ideo ſcribẽdo claſſicum ce- cinit omnibus, ut ſe ad ſimilia au- dendum ſequerentur. Horum pri us eſt, quòd contumaci animo de- ſeruit monaſterium & ordinem ſuum, cui ſolẽni uoto ſeſe obſtrin xerat. Quod an tam leue ſit, quàm ipſe imperitis perſuaſit, paulò pòſt uidebimus. Alterum eſt, cum Ec- cleſiæ Dei, imò ipſi Deo in conſpe- ctu Eccleſiæ coram Epiſcopo, cũ ordinaretur, uouiſſet cœlibem ca- ſtamq́; uitam, oblitus huius fidei, cùm iam abieciſſet cucullam mo- naſticam, per inceſtas nuptias du- xit uxorẽ. Et ne hic ſimplex pec- catum admitteret, perſuaſit uirgi-

ni monachæ, ſimili uoto caſtitatis Chriſto, Eccleſiæ, & monaſterio ſuo aſtrictæ, ut ſibi nuberet, ne uidelicet non haberēt ſimiles labra lactucas. Hæc duo facinora eius adeò ſunt nota terrarũ orbi, ut nemo, etiãſi ſit uel ipſo Luthero Lutheranior, poſſit negare. Ne quis uerò putet eſſe leuia aut uulgaria, audiamus quæſo de his, principiò Scripturas diuinas, deinde probatiſſimos Eccleſiæ doctores, & ipſam Eccleſiam; atque in omnibus his ipſum Spiritũ ſanctum. Is enim & Scripturæ diuinę eſt autor, & Eccleſiæ catholicæ doctor, & q ſanctis illis patribus atq; doctoribus myſteriorum Dei ſentẽtiam inſpirauit. Huius itaq; uocem in illis audiamus. Ad pia uota hortatur nos per Regiũ illum prophetam

De Votis.

Pſal. 75. tam Dauid his uerbis: Vouete & reddite Domino Deo ueſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Numerorum 30. ita ſcriptũ eſt: Si quis uirorum uotum Domino uouerit, aut ſe cõſtrinxerit iuramento, non faciet irritum uerbum ſuũ: ſed omẽ quod promiſit implebit. Mulier ſi quippiã uouerit, & ſe conſtrinxerit iuramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari, ſi cognouerit pater uotũ, quod pollicita eſt, & iuramentum quo obligauit animam ſuam, & tacuerit, uoti rea erit. Quicquid pollicita eſt, & iurauit, opere complebit. Iam quorſum opus eſt huc adferre quæ Leuitici 27. & aliĳs locis multis clariſſimis uerbis grauiſſimè de his præcepta leguntur? Si quid, inquit Salo

Salomon, uouiſti Deo, ne more-
ris reddere. Diſplicet enim inſide
lis & ſtulta promiſſio: ſed quod-
cunque uoueris, redde: multóq; *Eccle. 5.*
melius eſt non uouere, quam poſt
uotũ promiſſa non reddere. Hinc
eſt quod D. Apoſt. Paulus Timo- *1. Tim. 5.*
theũ ſuum tam diligenter admo-
net de recipiendis uiduis: Adoleſ-
centiores autẽ uiduas, inquit, de-
uita. Cùm enim luxuriatæ fuerint
in Chriſto, nubere uolunt, haben
tes damnationem, quia primam fi
dem irritam fecerunt. Quæ eſt illa
prima fides? Ea nimirũ, qua Chri-
ſto & Eccleſiæ eius ſe obſtrinxe-
rũt, uouẽdo ſe in ſua uiduitate ca-
ſtè perſeueraturas eſſe. Hoc uo-
to ſemel facto, ſi laſciuire incipiãt
aduerſus Chriſtum, uolentes re-
ſcindere uotũ, ꝙ huic tanq unico
ſponſo

ſponſo poſt mortem prioris mari
ti fecerunt, atq; alteri marito nu-
bere, iam Paulus ait eas habere cõ
demnationem. Hanc eſſe ipſiſſi-
mam ſententiam uerbi Pauli, om
nes ueteres, tã Græci q̃ Latini, qui-
cunq; locum illum unq̃ uel citan-
do, uel interpretãdo attigerũt, te-
ſtãtur. Quinetiam res ipſa, de qua
illic agit Apoſtolus, manifeſtè lo-
quitur, non poſſe eſſe aliam illo-
rum uerborum ſententiam. Por-
rò de uoto Virginitatis, quod po-
terimus habere exemplum clari-
us & illuſtrius, quàm illud ſanctiſ-
ſimæ Virginis Mariæ matris Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti? hæc cùm
audiſſet ab Angelo: Ecce concipi
es in utero, & paries Filium, &c.
quid reſpondit? Quomodo fiet
iſtud, quoniã uirum non cognoſ-
co?

Votum diuæ Virginis Mariæ.

co? quaſi diceret: Quid tu mihi narras de concipiendo in utero,& pariẽdo filium: cũ ego uirginitatem meam uoto conſecrauerim Deo: quod uotũ uiolare mihi non licet? Vnde igitur concipiã & pariam filium? Ad hoc iam reſpondet Angelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: & uirtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Quaſi dicat: Nõ fiet hoc per uiolationem uoti iſtius tui tam ſancti, neq; per congreſſum uiri: ſed per Spiritum ſanctũ. Is ſuperueniet in te, & id q̊d ego tibi annuncio operabitur. hãc eſſe eius loci ſententiam res ipſa loquitur. Nam qua alia ratione quæreret, quomodo fieri poſſet, ut conciperet, & pareret, niſi quia facto uirginitatis uoto, ſciebat nõ licere ſibi admittere cõgreſſum uiri?

hoc & Diuus Auguſt. obſeruauit, atq; diſertis uerbis expoſuit, in libro de ſancta Virginitate ſeruanda cap. 4. Profectò, inquit hoc nõ diceret, niſi ſe Virginem antè Deo uouiſſet. Idem obſeruatum eſt à Gregorio Niſeno, & Beda presb. Hinc eſt, quod ille uita atq; doctrina ſuſpiciẽdus, & nunquam ſatis laudatus Epiſcopus Sanctus Ambroſius ad uirginem lapſam ſcribit: Nõ es, inquit, memorata diei ſanctæ reſurrectionis, in quo diuino altari te obtuliſti uelandam. In tanto itaq; ſolenni conuentu Eccleſiæ Dei, inter limina illa ſplendida, inter cãdidatos regni cœleſtis, quaſi regina regi nuptura proceſſeras. Nõ es memorata, qualis allocutio facta eſt illa die ad te. Aſpice filia, & intuere, & obliuiſcere

Ambroſius.

popu-

populũ tuum, & domũ patris tui, & cõcupiſcet rex decorem tuum, quia ipſe eſt dominus Deus tuus. Aſpice ergo, quantus ad ſponſi tui & Domini nuptias conuenerit populus. Seruare te oportuit fidẽ, q̃ ſub tãtis teſtibus pollicita es. Semper cogitare, cui uirginitatẽ ſpoponderis, facilius te oportuit ſanguinem cum ſpiritu fundere, quã perdere caſtitatem tuam. His tunc illo die conſecrationis tuæ dictis, & multis ſupra caſtitatem tuam preconijs, ſacro uelamine tecta es. Vbi omnis populus dotem tuam ſubſcribens, non atramento, ſed ſpiritu pariter clamauit, Amẽ. Nã ſi inter decẽ teſtes confectis ſponſalijs, nuptijs conſummatis, quæuis uiro fœmina cõiũcta mortali, non ſine magno periculo ꝑpetrat

adulterium:quid putas fore, ſi inter innumerabiles teſtes Eccleſię, coram Angelis, exercitibus cœli, facta copula ſpiritalis, per adulteriū ſoluitur? Neſcio an poſſit ei digna mors aut pœna cogitari. Hæc ibi ſanctus ille Ambroſius: cuius authoritatem tanti fecit laudatiſſimus Imperator Theodoſius, ut putaret ex om̄ibus Epiſcopis ſuæ ætatis uel ſolùm Ambroſium dignum eſſe ea dignitate ac nomine. Iā ſimilia his plurima poſſem adducere, non ſolùm è ſingulis Eccleſiæ, ijſdem'que præſtantiſſimis doctórib⁹, uerùm etiam ex decretis Oecumenicorum Conciliorum: quorum authoritatem plurimis grauiſſimisq; de cauſis neceſſariū eſt eſſe inuiolabilē. Sed nolo properātem aliò Christianum lectorem

rem pluribus quàm ſit neceſſariũ remorari. Qui ſi uolet, atq; per ali as occupatiões tantũ habeat ocij, legat finem quarti Concilij Carthaginenſis, cui interfuit ipſe Diuus Aurelius Auguſtinus, cum alijs ducentis, ac tredecim Epiſcopis. Item Concilij Toletani quar ti, canonem 53. & 54. Atq; hęc quidem de uiduarum ac uirginũ Votis. Quid autem de Votis monachorum? hoc uel ſola ratio nos do cere potuit. Nam ſi ab infirmiore ſexu, de quo non inſipienter pronunciatum eſt à poëta: Varium & mutabile ſemper fœmina, tã grauiter exigitur perſolutio uoti, tũ in utriuſq; Teſtamenti Scriptura, tum doctorum Eccleſiæ, atque ip ſius totius Eccleſiæ authoritate & conſenſu: quid putamus ſentien

dum eſſe de uotis uirorũ : quibus tãto maiores conſtãtiæ dotes donauit Deus? Si in fœminis tantum ſcelus eſt, uotũ & fidẽ Deo & Eccleſię eius datã uiolare, quãto grauiùs hoc eſt in uiris? Vnde Scriptura ueteris Teſtamẽti, quã ſuprà citauimus, in primis de uirorũ uotis agit: poſtea etiã de fœminarũ. Et Dominus Lu.9. de uiris loquitur, cũ ait: Nemo mittẽs manũ ſuam ad aratrũ, & reſpiciẽs retrò, aptus eſt regno Dei. Hinc eſt q̊d Diuus Augu. in illud pſal.75. Vouete & reddite. & pulcherrimè de uotis diſſerens, inter cætera dicit: Nemo ergo poſitus in monaſterio frater, dicat: recedo de monaſterio. neq; enim ſoli qui ſunt in monaſterio, peruenturi ſunt ad regnum Cœlorum; & illi qui ibi non ſunt,

ſunt, ad Deum non pertinẽt. Reſpondetur ei: Sed illi non uouerunt: tu uouiſti: tu retrò reſpexiſti. Iam obſecro uos uiri doctiſſimi, & quotquot Deum & mandata uoluntatemq́; eius uerè diligitis, obſecro, inquã, per ipſum Deum omnipotentem, per Deum immortalem, per ſalutare illud nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, obſecro, inquam, uos, conſiderate mihi, & expendite hanc diuinæ utriuſq; Teſtamenti Scripturæ, tot ſanctiſſimorum patrum, doctorum Eccleſiæ, atq; ipſius Eccleſiæ uniuerſæ conſonantiam de uotis: & ad hanc tanquam amuſſim exigite mihi tum uitam, tum doctrinã Martini Lutheri: & attendite ac uidete, an illius unquã hominis uita potuerit magis ab il *Concluſio de uiolatis uotis.*

la regula diſcrepare, ad quam nos omnes debemus cũctas actiones noſtras exigere & inſtituere? An ulla unquam doctrina manifeſtiùs ex diametro pugnet cum uerbo Dei, Sanctorum Patrum ſentẽtiis, atque totius Eccleſię, quę eſt columna & firmamẽtum ueritatis, doctrina? Quid nõ audeat homo ille, qui non dubitauit cõtra tam clarum uerbum, cõtra tã grauia pręcepta ipſius omnipotẽtis Dei: contra ſententiam omniũ Sanctorum, ac totius Eccleſiæ Dei: contra omnium ſeculorum uſum & conſuetudinem: contra ſuum ipſius uerbum, uotum, ac datam fidem, effringere clauſtra ſui monaſterii, abiicere ueſtem religioſam, ducere uxorem, eandem'que ſimilibus uotis religionis & caſtitatis aſtrictam?

ctam? Neq; ſatis habuit, hæc tam enormia, tam fœda, tã ſacrilega, tam denique inexpiabilia patraſſe: niſi etiam editis libris, omnia monaſteria, omnes religioſos, omnes Monachorum, Virginum, & Sacerdotum conuẽtus ad idem ſolicitaret: ut uidelicet multitudine peccantium ſua illa tam turpia & execrabilia ſcelera operiret ac tegeret. Iam uerò ut hæc omnia faceret impunè, maiora etiam eſt auſus. Illorum authoritatem, ad quos propriè, ex ipſius Dei ordinatione, & politia, quam in ſua ciuitate, quæ eſt Eccleſia, Deus ipſe inſtituit, pertinet talia ſcelera punire: illorum, inquam, authoritatem ita fœdiſſimis ſuis & ſedioſiſſimis concionibus & libris traduxit apud imperitam multitudinem,

Lutherus qualis fuerit in Præpoſitos Eccleſiæ, & uniuerſam politiam ciuitatis Dei.

nem, ut hac demẽtata, & ad ſua il la tam ſacrilega ſcelera defendendum conuerſa, illos ab officio ſuo arceret. Reſpicite quæſo ad noſtrum Apologum, & agnoſcite lupum per inſidioſas obtrectationes & calumnias à ſuis cuſtodibus abducentem agnos. Ad hoc autẽ quò facilius harum rerum imperitos induceret, ſibíq; arctiùs deuinciret, conſyderauit, quã ingrata ſit omni carni diſciplina: contrà uerò, quàm grata licentia uiuendi faciendíq;, quę cuiq; libet. Ideo ſuſtulit omnia omnis diſciplinæ, præſertim Eccleſiaſticæ, repagula, negans in manu Eccleſiæ eſſe, leges morum ſeu bonoꝶ operum condere: cùm tot locis diuinæ Scripturæ, utriuſque Teſtamenti, palàm contrarium doceant. Nam ſi id

Diſciplina per Lutherum ſublata.

Dogma Lutheri de authoritate Eccleſiæ.

id uerum eſſet, quod ille reiecto omni pudore, palàm ac publicè aſ ſerit, quorſum pertineret illud Sa lomonis Prouerbiorũ 6. Conſer- ua fili mi pręcepta Patris tui: & ne dimittas legem Matris tuæ: liga eam in corde tuo iugiter: & circũ- da gutturi tuo. Cũ ambulaueris, gradiantur tecum: cũ dormieris, cuſtodiant te: & euigilãs, loquere cũ eis. Quia mãdatum lucerna eſt: & lex lux, & uia uitę increpatio di ſciplinæ. Ecce, quid quæſo potuit his dici clarius? Non dicit ſolius Patris pręcepta eſſe conſeruanda: ſed etiam legẽ Matris. Quorſum autem attinebat adijcere illud de lege Matris, ſi Mater nullũ habet ius condẽdi legẽ? Quinimò mãda- tũ Patris lucernã dicit: legem au- tem Matris, eiuſdẽ lucernæ lucẽ.

Quid

Quid prodeſt habere lucernam, ſi non luceat? Quid prodeſt habere præcepta Dei, Scripturam diuinã, ſi non accedat à lege matris Eccleſiæ lux ueri intellectus? Iudæi habent quidem præcepta Patris in Scripturis ſacris expreſſa: ſed qa non recipiunt legem Matris, lucerna illa eis non lucet: ideóque in denſiſſimis tenebris ambulant. Omnes hęretici, quotquot unquã extiterunt, habuerunt lucernam uerbi: ſed quia dimiſerunt legem Matris, amiſerunt lucẽ: & in tam horrendos errores impegerunt. Cùm Salomon tam diſertis uerbis aſſerat, increpationem diſciplinæ eſſe uiam uitæ, nónne ille agit homines præcipites in mortẽ, qui tollit ab eis iugum diſciplinæ? hoc iam nihil opus eſt pluribus uerbis expli

explicare. Vident omnes uiri bo-
ni,quos ille ſceleſtus ſuis illis præ-
ſtigĳs non potuit incantare,uidēt
inquam, & cum gemitibus, ſuſpi-
rĳs,querelis, & lachrymarum im
bre deplorant ac deflent,quò pro-
lapſi ſint mores hominum ab eo
tempore, quo impius ille perſua-
ſit mundo,ut dimiſſa lege Matris
Eccleſiæ,hoc eſt,ipſa luce,adhære-
ret ſolius uerbi ſeu pręcepti pater
ni lucernæ. Iam cùm hic unus lo-
cus qui eſt in Prouerbĳs, rem uni
uerſam nobis tam luculenter ex-
pediat,ut uel cœcus uidere queat,
quorſum attinet pium lectorem
diutiùs in his remorari? An nō ha
bet illa ſponſa Chriſti poteſtatem
condendi leges morum & bono-
rum operum, cui ipſe Spōſus pro
miſit Spiritum ſuum,ſpiritum ue
ritatis,

ritatis, qui doceret eam omnẽ ue-
ritatem : neque hunc ut ad breue
aliquod tempus apud eam mane-
ret : ſed ut maneat uobiſcum , in-
Ioan. 14. quit, in æternum? huic aliquis au-
det adimere poteſtatem conden-
di leges morum & bonorum ope-
rum, de qua tam claris uerbis pro-
nunciauit ipſe ſponſus: Si non au
Matt. 18. dierit Eccleſiam , ſit tibi tanquam
Ethnicus & publicanus? huius le-
ges, quam illud uas electionis, ille
gentium doctor Apoſtolus Pau-
1. Tim. 3. lus dicit columnam & firmamen-
tum ueritatis: huius, inquã, leges
tu tanquam deliræ alicuius mulie-
ris blateramenta, audes deſpicere,
audes conſpuere, audes conculca-
re? Tu dico Luthere, talis in eam,
quæ te pepererat Chriſto , matrẽ
Eccleſiam, audes negare illam ha-
bere

bere poteſtatē condendi leges mo
rum & bonorum operum, cuius
uel ſolam conſuetudinem Apo-
ſtolus Paulus non dubitat uſurpa-
re pro lege etiā firmiſſima. Nam
cùm multis & grauibus rationi-
bus docuiſſet, mulieres in Eccleſia
uelatas debere orare & propheta
re: uiros autem apertos, tandem
totam diſputationē concludit u-
nico argumento à conſuetudine
Eccleſiæ. Si quis autē uidetur con
tentioſus eſſe, inquit, nos talem
conſuetudinem nō habemus: ne-
que Eccleſia Dei. Videtis itaq; ui-
ri doctiſſimi, & fratres chariſſimi,
quātū & q̃ letalis ueneni lateat in
uno illi⁹ dogmate, q̄ ipſe in aſſerti
onib⁹ ſuis poſuit his uerbis: Certū
eſt in manu Eccleſiæ aut Papę, pr-
ſus nō eſſe ſtatuere articulos ſidei:
imò

imò nec leges morum ſeu bonorũ operum. Sed poſſumus ne ſcire, quæ'nam fuerit illi cauſa, quod tã acerbo odio, tã hoſtili animo perſecutus ſit leges & cònſuetudines Eccleſiæ? In promptu cauſa eſt fratres chariſſimi, illa ipſa nimirum, quam ſapientiſſimus Salomon cõtinuò ſubijcit illis, quæ iam è ſexto Prouerbiorum adduximus. Vt cuſtodiant te, inquit, à muliere mala, & à blãda lingua extraneę. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum: ne capiaris nutibus illius. Ecce, hæc fuit perditiſſimo illi cauſa tanti odij, quia leges matris noſtrę Eccleſię cuſtodiunt nos ab impuriſſima illa meretrice, cuius ille fuit turpiſſim⁹ leno: in cuius fœdiſſimis complexibus cùm ipſe iam execrandam ſuam libidinem

Quæ de cauſa Lutherus oderit leges & ſtatuta Eccleſiæ.

nem ſatiaſſet, putauit ampliſſimũ ſe inde conſecuturum quæſtum, ſi quàm plurimos ad eandem perducere, ut eadem ſpurcitie ſe cõtaminarent. Sed quia uidit ſe fruſtra hoc tentare apud illos, qui ſe continerent intra ſepta legũ maternarum, hoc eſt, Canones, decreta, conſtitutiones, præcepta, mandata, & cõſuetudines matris Eccleſiæ, ideo perſuaſit eis, hæc nulla eſſe, Eccleſiam non habere poteſtatem quicquam huiuſmodi condendi & præſcribendi. hoc autem conatus eſt illis probare his uerbis: Probo, inquit, hunc ſic 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt: quod eſt Ieſus Chriſtus. hic habes fundamentum ab Apoſtolis poſitum. At omnis ar- *Abſurda dogmatis Lutherani probatio.*

ticulus Fidei eſt pars huius funda menti. Quare poni alius articulus quàm poſitus eſt, nullus poteſt. Superædificari autem poteſt, ut idem dicit. Et ideo Papa debet nobiſcum poni & ſuperædificari: non autem ponere. Omnia enim credenda, ſunt in Scripturis expoſita plenè. Ecce, hæc eſt eius argumentatio, qua cunctis perſuadere conatur, non eſſe in manu Eccleſiæ aut Papæ, ſtatuere articulos Fidei, nec leges morum ſeu bonorum operum. Iam obſecro denuò per Deum immortalem, uiri doctiſſimi & chariſſimi fratres, excutiamus hoc argumentum pauliſper, exigamus hãc tam ſpecioſam argumentationem ad eam regulam, ad quam omnis argumentatio debet exigi ſecundũ

Refutatio eius.

Dialecti-

Dialecticorum doctrinam, ut ap pareat utrum ſit proba, an im-proba. Quæ'nam eſt ea regula? hæc nimirum, quòd in omni bo-na proba'que argumẽtatione ne ceſſarium eſt eſſe certam quan-dam & aptam connexionem par tium, quam bonam conſequen-tiam Dialectici uocant. Videa-mus itaq; quàm bona conſequen tia ſit in illa argumentatione Lu-theri. propoſitum eſt probare, nõ eſſe in manu Eccleſiæ aut Papæ ſtatuere articulos Fidei: nec le-ges morum, ſeu bonorum ope-rum: hoc aggreditur probare il-lo uerbo Pauli, Fundamentũ ali-ud nemo poteſt ponere prĕter id quod poſitũ eſt, ꝙ eſt Ieſus Chri-ſtus. Quid ego nunc audio? Quis ita locutus eſt unq̃? Videtur tibi

Luthere Ieſus Chriſtus eſſe ar-ticulus Fidei, Lex morum, ſiue bonorum operum? Aut quod etiam abſurdiùs dicitur, articu-los Fidei eſſe partes Ieſu Chri-ſti? hoccine te ibi docet Apoſto-lus? Attendite quæſo uiri fratres, & uidete, an non uideatur uos o-mnes, qui etiã Scripturas diuinas legitis, habere pro fungis, dum lo cum illum Apoſtoli ſic adducit, ac uobis legendum proponit, ut ſententiam eius planè in contra-rium uertat: id'q; putat uos non animaduerſuros? Paulus ibi (ut ſcitis) docet, neminem debere ſibi ſtultè placere, & extollere ſe præ cæteris, quaſi ſua ipſius ſapientia & uirtute eximium aliquid præ-ſtiterit, id'q; ſine Chriſto, ſine gra-tia & auxilio Dei. Nam homines

Genuina ſententia Pauli in eo loco.

eos

eos qui docent, & cætera miniſte
ria & munera in Eccleſia obeunt,
eſſe ſimiles agricolis quibuſdam,
quorum alius plãtat, alius rigat:
ſed fruſtra hæc omnia illos eſſe fa
ćturos, niſi Deus dederit incremẽ
tum. Quamobrem neminem de-
bere ſibi hîc aliquid arrogare: ſed
uniuerſam gloriam eſſe dandam
Deo, quippè qui niſi dederit incre
mentum, omnes omnium labo-
res fore irritos. Debere autem o-
mnes fideliter, unumquemque in
ſuo ordine, & uocatione ſua labo
rare unanimiter, ſine æmulatio-
ne, obtrećtatione, & contentio-
ne, in tanta pace & concordia, ut
cùm pro diuerſitate munerũ ſint
plurimi, tamen per unanimem il-
lam concordiã uideantur eſſe qua
ſi unus homo. hoc enim ſignifi-

cat, cùm ait: Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Et huic de agricultura parabolæ ſubijcit alteram de ædificatione, dicens: Dei ædificatio eſtis. Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentũ poſui: alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſq; autẽ uideat, quomodo ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo ponere poteſt præter id quod poſitũ eſt: quod eſt Chriſtus Ieſus: Hoc eſt fundamentum doctrinę huius cœleſtis, Euangelicæ, ſalutaris ego in uobis poſui. Hoc fundamentum eſt ipſe Chriſtus Ieſus: per quẽ Deus ſalutem contulit humano generi. Super hoc fundamentum alij doctores & paſtores, qui mihi ſuccedunt, ædificant. Quid autem

tem ſuperædificant? Quid aliud, quàm quid de Chriſto, quem ego primus uobis annuncians, tanquam fundamentum huius doctrinæ poſui, credendum ſit? quomodo huic ſeruiendum? quomodo uiuendum, ut huius aduentus, incarnatio, uita, doctrina, mors, reſurrectio, aſcenſio, miſſio Spiritus, &c. uobis non ſint fruſtra facta? huiuſmodi doctrinam ſucceſſores mei ſuper fundamentum quod ego poſui ædificabunt. Vnuſquiſq; autem uideat, inquit, quomodo ſuperædificet. Quinetiam ipſi auditores doctrinæ fidem ſuã, & uitæ mores ſuper hoc ipſum fundamentũ ædificare debẽt. Et unuſquiſq; uideat quomodo ſuperędificet: qa oĩa probabit ignis. Hęc eſt genuina ſentẽtia

uerborum Pauli. Vnde manifeſtiſſimum eſt, hunc locum Apoſtoli, ex quo ſuum illud paradoxon uoluit probare Lutherus, ex diametro cum ipſo paradoxo pugnare. Nã ſuper illud fundamentum ædificare, nihil aliud eſt, quã condere articulos Fidei, præſcribere leges morum & bonorũ operum, quod faciunt Epiſcopi & paſtores, uti ſucceſſores Apoſtolorum; & ſecundum hæc ipſa credere & uidere, quod eſt fidelis populi opus & officium. Quid autem ais Luthere? Non eſt in manu Eccleſię, ſtatuere articulos Fidei, nec leges morum ſeu bonorum operum? Dic mihi ergo, quis ſtatuit illos duodecim articulos, quos adhuc habemus regulã Fidei noſtræ? Apoſtoli, inquies: nam inde

Exemplis oſtenditur Eccleſiã habere po

de dicitur Symbolum Apoſtolo-
rum. Rectè reſpondiſti: ſed cùm
hoc facerent Apoſtoli, in ipſis A-
poſtolis fuit Eccleſia. Igitur Ec-
cleſia conſtituit illos articulos. Cũ
impius ille Arius turbaret Ec-
cleſiam blaſphemo illo ſuo do-
gmate de Filio Dei, quis condidit
hunc articulum, ut credamus Do
minum Ieſum Chriſtum eſſe nõ
factum, ſed genitum, de ſubſtan-
tia Patris, Deum ex Deo, lumen
ex lumine, Deum uerum ex Deo
uero, ὁμοούσιον Patri, hoc eſt, eiuſdẽ
cum Patre ſubſtantiæ: quis, in-
quam, condidit, quis cõſtituit (ut
Lutheri uerbo utar) hunc articu-
lum Fidei? Nónne Eccleſia? hæc
enim erat tunc in illis trecẽtis o-
ctodecim Epiſcopis, quemadmo
dum in Apoſtolis, quando con-

teſtatẽ cõ dendi arti culos Fi- dei.

diderunt & conſtituerunt prius illud Symbolū. Quemadmodum enim ciuitas decernere & conſti- tuere dicitur, quod decernit & conſtituit Senatus, qui præeſt ci- uitati, ita ſemper dicitur, & uerè, Eccleſiam conſtituere, quod in u- unum collecti Epiſcopi, qui Ec- cleſiæ præſunt, conſtituunt. Ec- cleſia nihil aliud eſt quàm ciuitas Dei: huic Epiſcopi tanquam Se- natores prę ſunt. Inter hos autem ſemper unus habet ſupremum re gimen, quemadmodum inter Se natores Conſul. Et quemadmo- dum Conſuli ſolent dari claues ci
Math. 16. uitatis, ita Petro dominus noſter Ieſus Chriſtus dedit claues regni Cœlorum, hoc eſt, ciuitatis Dei, quæ eſt Eccleſia. Porrò quicquid hic Conſul, unà cum uniuerſo E-

piſco-

piſcoporum Senatu(quod gene-
rale Concilium dicimus) decer-
nit,conſtituit,mãdat, ſiue creden
dum,ſiue faciendum, hoc recipi-
endum eſt tanquam oracula Dei.
Hæc eſt enim illa Eccleſia, de qua
Chriſtus ipſe dixit Matth. 18. Si
Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſi-
cut ethnicus & publicanus. Et Lu
cæ 10. Qui uos audit, me audit: qui
uos ſpernit, me ſpernit. Neq; eſt
ullum certius ſignum, quo citiùs, *Signũ quo certò cognoſcitur hæreticus.*
expeditiùs, ac euidentiùs cogno-
ſci queat hæreticus, & à doctore
ueritatis diſcerni, quàm ſi prouo-
cet ab Eccleſia ad iudicem Scri-
pturam: hoc eſt certiſſimum ſi-
gnum, illum in animo habere
per ſubdolam interpretationem
Scripturæ turbare Eccleſiã. Neq;
enĩ Scriptura eſt iudex Eccleſiæ,
ſed

ſed Eccleſia & iudex eſt,& inter- pres Scripturæ. Iudex,quia Eccle ſiæ eſt iudicare de Scriptura utrũ Canonica ſit,& authẽtica, an nõ: quemadmodũ fecit, cùm ex mul tis Euangeliȷs à multis conſcri- ptis,quatuor duntaxat recepit:cę tera reiecit. Idẽ in aliȷs fecit. Vn- de diuus Auguſtinus in libro con tra epiſtolam Manichęi,quam uo cant Fundamenti,cap.5.ait: Ego uerò Euãgelio non crederem,ni- ſi me Catholicæ Eccleſiæ commo ueret authoritas. hinc manifeſtiſ ſimũ eſt, ꝙ Eccleſia eſt iudex ipſi us Scripturę:nõ autẽ contrà. Nõ eò hoc dico, quòd putem non o- portere prorſus inuiolabilem eſſe Scripturæ diuinæ authoritatem: quam Deus Eccleſię ſuę dedit tan quam regulam, ad quã tanquam ad

adamuſſim, aut (quod dici conſueuit) Lydium lapidem omnium hominum, tum uitam, tum fidem, tum doctrinam exigere & examinare debet. Dedit autem, non Iudicem ipſius Eccleſiæ: ſed regulam, ſecundum quàm ipſa Eccleſia iudicat, accommodatrix uidelicet huius regulæ ad quæſtiones & cauſas, aut potius harum ad ipſam regulam. Atq; hoc iudicium, & hãc accommodationem non quilibet ſibi ſumere debet: ſed illi quos ad hoc idoneos iudicat Eccleſia: qui habent eundem ſpiritum cum Eccleſia: non hęretici, qui tanquam regulam lesbiam ad ſuas blaſphemias defendẽdum illam detorquent. Quòd autem eadem Eccleſia ſit etiam Scripturæ interpres, hoc uel inde manifeſtum

ſtum eſt, quod ſola Eccleſia cum ſuis filijs habet ſpiritum illum ueritatis, qui ipſam Scripturam ſanctis hominibus inſpirauit. Idem ſpiritus inſpirat Eccleſię, & huius filijs, ueram Scripturarum intelligentiam, & interpretationem. Quicunq; igitur ab Eccleſia prouocāt ad Scripturam, ſtatim hoc ipſo facto, hoc ipſo prouocationis uerbo declarant quid meditentur, nimirum deſerta Eccleſia, nouam excitare hæreſim, nouum facere ſchiſma. Opinor, uiri ſuſpiciendi, ac fratres chariſſimi, ſatis luculenter me explicuiſſe, ac detexiſſe, quantum letiferi ueneni lateat in uno illo dogmate Lutheri, quo aſſeruit, in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe, ſtatuere articulos Fidei, nec leges

morum,

morum, ſeu bonorum operũ: & in ea qua hoc probare conatus eſt citatione Scripturæ. Iam huic ger manum eſt, quod in eiſdem illis ſuis aſſertionibus poſuit, his uer bis: Via nobis facta eſt eneruandi authoritatẽ Conciliorũ: & liberè contradicendi eorũ geſtis: & iudi candi eorũ decreta, & cõfidenter confitendi quicquid uerum uide- tur, ſiue probatũ, ſiue reprobatũ fuerit à quocunq; Concilio. Au- ditis uiri ac fratres, auditis, inquã, uocẽ, qua nulla unq̃ potuit, neq; arrogãtior, neq; ſuperbior, neq; impudẽtior, per ullius hominis, quantũuis arrogantis, quantũuis ſuperbi & impudentis labia pro- uolare. Vnũ hominẽ, eundemq; talẽ qualẽ nouimus Lutherũ, au- dere ſe pponere omnibus omniũ

Lutheri dogma dè authoritate Cõciliorum.

Refutatio.

ſecu-

ſeculorum Conciliis, hoc eſt, non ſolùm doctoribus & Epiſcopis omnibus totius Eccleſiæ, qui extiterunt unquàm, uerùm etiã ipſis Apoſtolis. Nam & hi Concilia celebrarũt: quod manifeſtiſſimum eſt ex Euangeliſta Luca in Actis Apoſtolorum. Lutherus autem in illo articulo ſuo nullum Concilium excipit, ſiue illud ab ipſis Apoſtolis, ſiue ab horum ſucceſſoribus Epiſcopis celebratum ſit. Nam uerbũ eius eſt, Siue probatum, ſiue reprobatũ fuerit à quocunq; Concilio. Qui dicit, quocunque, nullum excipit. Meritò itaq; ille doctrina ac ſanctitate uitæ eximius doctor, Epiſcopus, & martyr (nam pro orthodoxa Fide, & Eccleſia Dei Catholica ſanguinem ſuum fudit) Ioannes Fiſcherius

Ioãnes Fiſcherius

cherius

cherius Epiſcopus Roffenſis, in ſua confutatione,ubi hunc articulũ aggreditur,ita ſcribit: Non poteſt quiſquam articulus hoc uno peſtilentior excogitari. Tollit enim uniuerſum totius Eccleſię robur. Sed & animos Chriſtianos prorſus incertos reddit, cui potiſſimum credere debeant. Nam ſi generali Concilio ſecurè credi nõ poſſet,cuius erit authoritati credẽdum? Hæc, & plura his,lectu utiliſſima ille Epiſc. de hoc articulo & Conciliorũ authoritate. Nos autem nunc pergamus ad alia, & uideamus, quomodo Lutherus tractare ſit auſus non ſolùm Eccleſiæ Concilia,uerùm etiam ipſam Scripturam diuinã. Principio libros Machabeorum,quibus ſemper in Eccleſia Chriſtiana magna fuit authori-

Epiſcopus Roffenſis.

Lutherus etiam ipſam Scripturã diuinã reijcit, ut ſua Paradoxa ſtatuat.

thoritas, & ut Diuus Auguſtinus & Diuus Hieronymus teſtantur, in Canone atq; numero Sacrorũ uoluminum habentur, in totum reiecit, eò quod libro 2. cap. 12. clariſſimum extet exẽplum, in quo quiuis uidere poteſt, in populo Dei ſemper, etiam ante Chriſtum natum, hanc fuiſſe conſuetudinẽ, ut orarẽt, & ſacrificia offerrẽt pro animabus defunctorum: hanc autem conſuetudinem ille damnauit, aſſerens, inuentum eſſe auaritiæ ſacerdotalis. Ergo non dubitauit etiam Scripturam diuinam ea parte reĳcere, qua illam conſuetudinẽ tam clarè approbat. Hoc unũ eſt: uideamus alterum. Epiſtolam D. Iacobi, Cœleſti & Apoſtolica doctrina refertiſſimam, non eſt ueritus ignominioſo uocabulo appel-

pellare Stramineam. Quamob-
rem hoc? Quia diſertiſſimis uerbis
damnat ipſius dogma de Iuſtifica
tione: quam ipſe dicit ſola Fide
conſtare: Iacobus autem exem- *Iacob. 2.*
plo Abrahæ, & authoritate Scri-
pturæ Geneſeos probat, hominẽ
iuſtificari ex operibus, & non ex
Fide tantùm. Hoc alterum: uidea-
mus etiam tertium. In præfatio-
ne quadam in nouum Teſtamen
tum, hanc ſibi cenſuram ſumit in
ipſos Euangeliſtas, ut Ioannem
quidem uſque ad cœlos extollat,
(atq; hoc meritò faceret, ſi ea ſen-
tentia & ratione faceret, qua id cũ
Eccleſia facit Auguſt. lib. 1. ca. 4. &
duobus ſequentibus, de conſen-
ſu Euangeliſtarum) cæteros uerò
tres Matthæum, Lucam, & Mar-
cum ita deijciat, ut longè infrà

Petri & Pauli epiſtolas: tandemq́;
concludat, Euangelium Ioannis,
& huius epiſtolam primã, & Pau-
li tres epiſtolas, ad Romanos, Ga
latas, & Epheſios, & priorem Pe-
tri, eſſe eos libros qui nobis Chri-
ſtum deſcribant, & omnia doce-
ant, quæ nobis neceſſaria & ſaluta
ria ſunt, etiamſi nullum præterea
librum, nullã præterea doctrinam
neq; uideamus, neq; audiamus. In
hac cenſura quid lateat, & quanta
fiat iniuria, non ſolùm illis quos
ita deijcit, uerùm etiam his quos
exaltat, liberet mihi explicare, ſi
ratione propoſitæ breuitatis lice-
ret. Nunc quia paucis explicari
non poteſt, mihi autem propoſi-
tum eſt, in hoc opuſculo pium le
ctorem non remorari pluribus q̃
neceſſarium ſit ad cognoſcẽdum,
unde

unde nobis exortæ ſint hæ tempe
ſtates, quibus tanto cum terrore
iactamur: & unde recuperanda
tranquillitas, hāc diſputationem
in aliud tempus differam, quò citi
ùs perueniam⁹ ad ea, quæ propriè
pertinent ad componendum pa-
cem. Neq; quiſquam eſt tam exi-
gui iudicij, quin ſi legat attentè lo
cum illum Auguſtini, & præfatio-
nem illam Lutheri, quam ille ali-
quoties recoxit, facilè ſit animad-
uerſurus, quàm longè aliò tendat
hic, quàm Auguſtinus. Quaprop-
ter hanc cenſuram, quemadmo-
dum & alia quam plurima eius do
gmata hic tranſilio, quæ non ſo-
lùm falſa ſunt, uerùm etiam pa-
lā abſurda: qualia ſunt: Per Bap-
tiſmum non deleri ſeu remitti om
nia peccata: Contritionem in pec

catore pœnitentiam agente face-re magis peccatorẽ. Non eſſe con-fitendum omnia peccata. Qui om nia confitẽtur, hos nihil relinque-re miſericordiæ Dei: Ad hoc ut ue rè quis abſolutus ſit à peccatis, ni-hil aliud requiri, quàm ut certò cre dat ſe eſſe abſolutum. Puerum & mulierem, eãdem habere poteſta-tem abſoluendi, quã habet Papa. Docẽdos eſſe Chriſtianos plus di ligere excõmunicationem quam timere. In omni opere bono iuſtũ peccare. Opus quantùmuis bonũ, eſſe ueniale peccatum. Hęc & ſex-centa id genus alia, ille miſerè de-ceptis hominib9 perſuaſit: & ſunt luculentiſſimis Scripturis & ratio nib9 à maximis uiris refutata: ſed neſcio quo noſtro fato, hæc eſt ho ra atq; poteſtas tenebrarum, ut ho

rum

rum doctrina ad cœlum inuitans non recipiatur, ac ne legatur quidem ab illis à quibus oportebat: illius autẽ paradoxa, quæ recta deducunt ad inferos amplectantur pro Euangelio Ieſu Chriſti. Orandus eſt Dominus Deus, ut ipſe hęc tam peruerſa iudicia hominũ corrigat: ut hunc noſtri palati morbum, quo ea quæ præſentem mortem adducunt tantoperè appetimus, atq; tam auidè ſumimus: quę uerò uitã, faſtidimus, ſanare dignetur. Ego omiſſis omnibus, ad rationem componẽdi noſtra diſſidia me conferam, ſi unum duntaxat præter ea quæ iam attigi, prius explicuero, quo ille non ſolùm homines leues, & inſtar arundinis ad quoſuis doctrinę uẽtos agitabiles, uerũ etiam uiros graues ac doctos

perplexos reddidit: Hoc eſt, quòd Eccleſiam Romanam hæreſeos ac ſchiſmatis damnat, eò quòd laicis miniſtrat Euchariſtię Sacramētū ſub ſpecie panis duntaxat, non etiā ſub ſpecie uini. Hic dum producit uerba ipſius Chriſti ex Euāgelio, & conſuetudinē illam quā conſtat aliquandiu fuiſſe in Eccleſia, nō mediocriter percellit eos, quibus uel per alias occupationes uitæ, uel per animi iudicium non ſatis in his exercitatum aut perſpicax, non eſt datum perſcrutariatque perſpicere, quę ſit genuina ſententia uerborum Domini: & quæ conſuetudinis mutatæ ratio. Qui uerò hæc perſcrutati ſunt, & intelligunt, hos nihil illius ſophiſmata commouent: ſed ſumma cum animi ſui tranquillitate, religione, reue

De Communione ſub utraq; ſpecie.

reuerentia, & gratiarum actione tanquam de manu Domini percipiunt, quod illa dilectiſſima, atq; unica Sponſo ſuo, Mater noſtra Eccleſia per miniſtri ſacerdotis manum porrigit. Atq; hoc ipſum, tametſi iam etiã ab initio harum controuerſiarum à multis, ijſdẽq; doctrina atque uirtute excellentibus uiris eſt explicatum, ego nihilò minus hic dabo operam, ut ſi quid fortè reſtet ſcrupuli, id per gratiam Dei tollam. Vbi tamen & illud principiò admonebo, etiam ob hoc ipſum hunc articulum debere uel maximè ſuſpectum eſſe uiris prudẽtibus, quod tam pertinaciter urgetur à Luthero: quẽ certiſſimum eſt, in omnibus actionibus & ſcriptis ſuis atq; doctrina nihil aliud ſibi propoſuiſſe,

quàm ut omnibus in Eccleſia Dei turbatis, ipſe cuncta pro ſua libidine gereret. In quo ſi quis illi nollet acquieſcere, hunc, quantuſcunque etiam is eſſet, ita ſcriptis ſuis tractauit, ut nihil ab ullo homine poſſet atroci⁹ excogitari. Expertus eſt hoc Illuſtriſſimus & ſacroſanctæ memoriæ Princeps Georgius Saxoniæ dux: quē, quòd nollet recipere eius doctrinā, animaduertens nimirum quid in receſſu haberet, Lutherus in ſuis ſcriptis appellauit Apoſtolū Antichriſti. Quid quæſo potuit atrociùs dici aut ſcribi in hominem ullum, ne dicam in talem Principē? Expertus eſt Henricus Octauus Angliæ rex: quem priuſquam ſuſtineret admittere doctrinam Lutheri, Lutherus perſtrinxit libro, tam

tam acerbè atque atrociter ſcrip-
to, ut etiam illi qui iam conceſſe-
rant in eius dogmata, uiri mode-
ſtiores indignè ferrent, quòd tan-
tum regem ita tractauerit. Aſt ubi
iam rex ille, neſcio quo malo ge-
nio impulſus, ceſſit tandem doctri
næ illorum: atq; ea gerere cœpit,
ad quorum mentionem omnes pi
os homines ipſa pietas ingemiſce
re cogit, tunc demum ab illis qui
adhærebant Luthero agnitus eſt,
& Chriſtianiſmi regis nomine ſa-
lutatus: tunc certatim illi ſuos li-
bros dedicauerunt. Hæc ita ſe ha-
bere totus mundus nouit: quid
autem habeant myſterij, omni-
nibus bonis uiris expendendũ re-
linquo. Quid ego pergam enume
rare cæteros? Suffecerit uel unus
ille liber, quem edidit in Paulum
Ter-

Tertium Pontificem Romanũ, cum pictis illis in eundem tabu- lis, ad demonſtrandum quid ſibi propoſuerit Lutherus. Quod igi- tur homo talis tantoperè urget, tam pertinaciter exigit, ſub eo ſu- ſpicandum eſt, illum ſingularem aliquem dolum occultare uelle. Hunc dolum ego hic dabo operá ut ita detegam, ita in medium & clariſſimam lucem producam, ut quiuis apertiſſimè uiſurus ſit, quã tũ ſub hoc operculo ueneni latue rit: quàm graue momentum id ha buerit, atq; etiam'num habeat, ni- ſi detectum cognoſcatur, ad exci tandum hos tam horribiles in Ec cleſia Dei motus. Scrupulos au- tem circa uſum huius Sacramen- ti, uiris bonis hac ratiõe iniectos, ſi modò hæc mea nõ dedignabun-
tur

tur legere, ita confido me per gra-
tiam Dei exempturum, ut ne mi-
nimus quidem ſit remãſurus, qui
in poſterum urgeat quenquam.
Aggrediamur itaq; hanc partem
ipſo Domino Ieſu Chriſto duce.
Quæ apud Euangeliſtas de inſtitu
tione huius Sacramẽti leguntur,
ea in unum collecta, & in ſuum or
dinem digeſta, ſic habent: Cœnan
tibus autem illis accepit Ieſus pa-
nem, gratias egit, & benedixit, &
fregit, dedit'que diſcipulis ſuis, &
ait: Accipite, & comedite, hoc eſt
corpus meũ, quod pro uobis tra-
detur: hoc facite in meam comme
morationem. Similiter & calicẽ,
poſtquàm cœnauit, accipiens, gra
tias egit, & dedit illis dicens: Bibi-
te ex hoc omnes. Hic eſt enim ſan
guis meus noui Teſtamenti (ſecũ
dùm

Matt. 26. dùm Matthæum & Marcum) uel
Marci 14. *Lucæ 22.* (ſecundùm Lucã)Hic eſt calix no-
uum Teſtamentũ in meo ſangui-
ne,qui pro uobis, & pro multis ef
fundetur, in remiſſionem pecca-
torum. Amen autem dico uobis,
non bibã amodò de hoc genimi-
ne uitis, uſq; in diem illum,cum il
lud bibam nouũ uobiſcum in reg-
no Dei Patris mei. Et biberũt ex
eo omnes. Hæc ſunt apud Euan-
geliſtas de inſtitutione Sacramen
ti hui9. Paulus uerò 1. Corinth.11.
de eodem ſcribit his uerbis: Ego
enim accepi à Domino, quod &
tradidi uobis: quoniã Dominus
Ieſus,in qua nocte tradebatur,ac-
cepit panem & gratias agens fre-
git,& dixit: Accipite & manduca-
te,hoc eſt corpus meum,quod pro
uobis tradetur: hoc facite in me-

am

am commemorationem. Simili-
ter & calicẽ, poſtquàm cœnauit,
dicens: Hic calix nouum Teſta-
mẽtum eſt in meo ſanguine. Hoc
facite, quotieſcũq; biberitis in me
am commemorationẽ. Hæc ſunt
omnia quæ de huius Sacramenti
inſtitutione, præparatione ſeu cõ
fectione, & ritu uſurpandi ipſum
apud Apoſtolos & Euãgeliſtas le-
guntur. Nam quæ apud Ioannem
ſunt ca. 6. ea non ad hæc, ſed digni-
tatẽ, utilitatem, & fructum quem
ex eo percipimus pertinent: Vn-
de igitur ſciemus, utrum ſolis A-
poſtolis tradita ſit poteſtas cõfici-
endi hoc Sacramentũ, an promi-
ſcuè oĩbus etiã laicis, eo uti uolẽti-
bus? Illic ſolis Apoſtolis dicit̃, Ac
cipite & comedite: &, Hoc facite
in meã cõmemorationẽ, hoc eſt,
memo-

memoriam mei. Non eſt autē ex-preſsè dictum: Vos conſecrate hunc panem & calicem, & populo tradite illum edendum atq; biben dum: niſi quantū ex uerbo, hoc fa cite, colligi poteſt. Paulus Corin-thijs ſcribens ait, ſe accepiſſe à Do mino, atq; ipſis tradidiſſe, quid fe-cerit Dominus Ieſus ea nocte, qua tradebatur: quo uerò ritu ipſi idē debeāt facere: & utrum unuſquiſ-que eorū per ſemetipſum panem hunc & calicem cōſecrare, atq; ita edere ac bibere: an de manu ſacer-dotis, ab hoc conſecratum, hoc nuſquam ſcribit. Præterea utrum in diſcumbentium menſis debeat hæc conſecratio fieri, ſolùm per benedictionem, & gratiarum acti onem: & mox conſecratorū ſum-ptio: an in Eccleſia ad altare, eti-

amper

am per ſacrificium & oblationem pro ſalute uiuoꝝ & mortuorum, hoc nuſquam exprimunt ſcripta Euãgeliſtarum & Apoſtolorum. Porrò eo ritu modóque, quem ex horum uerbis colligere poſſu-mus, nempè quod panẽ quidem inter cœnandum conſecrauit, at-que edendum porrexit: calicem autem cœna iam peracta, ut ſcri-bit Lucas, nemo iã intra plurima ſecula utitur: neq; uſquam inueni mus Apoſtolos unq̃ eo eſſe uſos. Hæc atq; alia quàm plurima circa hoc Sacramẽtum ſunt, ex quibus per nullã ſcripturam Euãgelicam aut Apoſtolicã nos expedire poſ-ſumus. Qua ratione igitur nos ex pediemus? Qua alia quã traditio-ne Eccleſię? Quid igitur pręter illa quæ ſcripturis illis expreſſa ſunt,

 nobis

nobis de hoc Sacramento tradidit Ecclesia, idq́; inuiolabiliter ſeruandum: Principiò, quod uinum illud non merū ſit conſecrādum, ſed miſtum aqua: ne uidelicet diſcrepet ab eo, q in Prouerbijs Salomon de hoc ſpiritu prophetico prædixit: Venite & edite de meis panibus, & bibite uinū, quod miſcui uobis. Neq; uerò miſtura hæc uini & aquæ uacat ingenti myſterio. Significat enim, quòd Chriſtus per mortē ſuam, quæ per hoc ſacrificium repræſentatur, & in toto mundo annunciatur donec ueniat, iuxta uerbum Apoſtoli atque ipſius Domini dicentis: hoc facite in meam commemorationem: populū ſibi uniuit, atq; Deo patri ſuo per ſacrificiū illud obtulit, ac recōciliauit. Per aquā enim

Prouer. 9.

popu-

populum multis locis diuinę Scri
pturæ intelligimus, ipſo Ioanne in
Apocalypſi dicente: Aquæ multæ *Apoc. 17.*
populi ſunt multi: Vnde etiã de
latere Domini ſimul aqua cũ ſan-
guine effluxit. Quid prætereà no-
bis de hoc tradidit Eccleſia? Panẽ
illum & calicẽ in illa Cœna, nõ ſo
lùm eſſe conſecratum à Domino,
ut fieret corpus & ſanguis ipſius
in cibum & potum, qui ſumenti-
bus daret uitam æternam: uerùm-
etiam uti Nouæ legis ac Teſtamẽ
ti ſacrificium nouum ab ipſo Do-
mino oblatum Deo Patri, quem- *Gene. 14.*
admodũ pręfiguratũ erat in Mel-
chiſedec proferente panem & ui-
num, ac benedicẽte, &c. eò ꝙ eſſet
Sacerdos Dei altiſſimus: ut com-
pleretur prophetia Dauid, quæ eſt
Pſal. 109. Tu es ſacerdos in ęternũ,
 ſecun-

ſecundùm ordinem Melchiſedec. Quid præterea nobis de hoc tradidit Eccleſia? Quod in eadē illa Cœna duodecim illos Apoſtolos ſuos ordinauit, ut eſſent ſacerdotes, & ſacrificiū hoc iugiter offerrent, offerēdum'que ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis & presb. traderent per uniuerſum mundum: ut abolitis iam ſacrificijs illis legis Moſaicæ, umbris ſeu figuris ſuccederet ueritas, ſecundùm prophetiam Mala-
Malac. 1. chiæ, quà dixit: Non eſt mihi uolūtas in uobis, dicit Dominus exercituum, & munus nō ſuſcipiam de manu ueſtra. Ab ortu enim ſolis uſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meū in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio mūda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus

bus, dicit Dominus exercituum. (quem tamen locum non ignoro ueteres quoſdam etiam de oratione ſimplici, ex conſciẽtia pura interpretari: Sed omnibus illis antiquior Irenæus de ſacrificio Miſſæ accipit lib. 4. cap. 32.) hoc ſacrificium ita à Domino acceptum, ipſos Apoſtolos iugiter conſueuiſſe offerre, uel ex uno illo manifeſtiſſimũ eſt, quod ſcribit Lucas, Act. 13. Sacrificantibus autem illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Barnabam, & Paulum, &c. Nam hoc modo ex Græco transferẽdus eſt ille locus: neque de alio ſacrificio, quàm quod nos Hebræo uocabulo Miſſam appellamus intelligi poteſt: quantumuis quidam nituntur illud aliò detorquere. Ec-

ce, uiri fratres, hæc & pleraq; alia facta ſunt in illa Cœna, quæ non poſſunt liquidò colligi ex uerbis illis Euangeliſtarũ, & Apoſtoli Pauli: & tamen adeò ſunt uera ac certa, ut nefas ſit quicquàm de eis dubitare: eò quòd Eccleſia illa ab Apoſtolis accepta ſemper in hodiernum uſque diem per totum terrarum orbem credat, obſeruet, atque uſurpet. De talibus autem dubitare, aut talium aliquid uelle immutare, ſi audiamus Auguſtinum ad Ianuarium ſcribentem, furor eſt. Sed poſſumus'ne hæc pręterea aliquot idoneis teſtimonijs comprobare & confirmare? Poſſumus multis, ijſdem'que ratione antiquæ illius Fidei, ſummæ doctrinæ, uitæ'que incomparabilis ſanctimoniæ, nonnullorum'que glo

riæ

riæ martyrij, fide digniſſimis. Audiamus itaque horum aliquot, incipientes ab antiquiſſimis & proximis ipſis Apoſtolis. Nam hi maximè ſcire potuerunt. Quidam enim illorum non ſolùm uicini fuerunt Apoſtolis, uerùm etiam coætanei: & familiariter cum ipſis conuerſati. Neque credibile eſt illos aliud uoluiſſe ſcribere, quàm quod ſciuerint: cùm etiam profuſo ſanguine ſuo fidem ſuam confirmarint.

Ex his primum faciamus Dionyſium Areopagitam. Is Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap.3. non ſolùm appellat hoc ſacrificium, uerùm etiam quo ritu, ſuo & Apoſtolorum tempore conſueuerit offerri, docet. *Dionyſius Areopagita.*

Secundũ cõſtituamus Sanctũ il

Diuus Ignatius. lum Martyrē Ignatium, Diui Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulum: qui decima epiſtola, quę eſt ad Smyrnenſes palàm & clarè de hoc ſacrificio loquitur, his uerbis: Omnes Epiſcopum ſequimini, ſicut Chriſtus Ieſus Patrē, Preſbyteros ſicut Apoſtolos, Diaconos autem ueneramini, ſicut Dei mandato miniſtrātes. Nemo prę ter Epiſcopum aliquid agat eorū, quæ ad Eccleſiam pertinent: firma Euchariſtia reputetur, quæ ab Epiſcopo conceſſa fuerit: ubi Epiſcopus præſens fuerit, illuc & plebs congregetur: ſicuti & ubi Chriſtus eſt, omnis cœleſtis militia adeſt, tanquam principi militiæ uirtutis Domini: & ipſe eſt diſpenſator totius intelligibilis naturæ, propterea non licet ſine Epi

ſcopo

ſcopo neque offerre, neque ſacri-
ficium immolare, neq; Miſſas ce-
lebrare. Sed ſi ei uiſum fuerit, ſe-
cundùm beneplacitum Dei, tunc
demum & tuum firmũ erit. Quis
obſecro hic tam cæcutiens eſt, ut
non uideat quàm claris uerbis ſan
ctus ille Epiſcopus & martyr, ip-
ſi Ioanni Apoſtolo & Euãgeliſtæ
tam familiaris, ac ſi eſſet frater,
quod Epiſtolæ eius ad ipſum A-
poſtolum indicant, quàm clarè
loquatur, tum de non turbando
Ordine ſacerdotali, tum de ſacro-
ſancto illo ſacrificio Miſſæ? An
ideo huic non credemus illa ſcri-
benti, quòd nihil eorum expreſ-
ſum ſit apud Euangeliſtas, aut A-
poſtolum Paulum, cùm de inſtitu
tione Sacramenti illius ſcribunt?
Quæ'nam obſecro hęc ratio eſt, ui-

ri ac fratres, nolle uiro tam ſancto dicenti credere, eò quòd quæ dicit, alius aliquis tacuerit? Imò ne tacuerit quidem, ſed non ſcripſerit: huic autem uiua uoce dicenda mandauerit? Adeóne ſumus rudes artis diſſerendi, ut ignoremus teſtimonia tum habere uirtutem probandi aliquid, quãdo cum affirmatione pronunciantur: in parte autẽ negatiua non habere. Neque hoc de ſolo Ignatio, ſed de cæteris omnibus, quos hic citabo dictum uolo.

S. Clemens. Audiamus itaq; tertio loco illum Pontificem & martyrem Clementem, Diui Apoſtoli Petri diſcipulum, & in Pontificatu ſucceſſorem.. Huius in Epiſtola tertia ad Iacobum fratrem Domini hęc ſunt uerba; Quoniam in aliis locis

cis ſacrificare & Miſſas celebrare non licet, niſi in his, in quibus Epiſcopus proprius iuſſerit: aut ab Epiſcopo regulariter ordinato, tenente uidelicet ciuitatem, conſecratus fuerit. Aliter enim nõ ſunt hæc agenda, nec ritè celebranda, docente nos nouo & uetere Teſtamento. Hæc Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, uobisque & omnibus abſque reprehenſione tenere & docere, quibus agendum eſt, mandamus. Ecce quid quæſo his aut clarius dici, aut grauius præcipi potuit: idque ab eo qui fuit diſcipulus Principis Apoſtolorum: & poſt hunc ipſe Princeps omnium Epiſcoporum, & ſummus Eccleſię Dei paſtor?

Quar-

Beatus Irenæus. Quartum faciamus beatum illum Epiſcopum Irenæum, qui di dicit ex Polycarpo præceptore ſuo, diſcipulo Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Is libro 4. cap. 34. ſic ſcribit: Igitur Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in uniuerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei. Ecce non dicit, quam excogitauit, ſiue commentus eſt Papa Romanus, quemadmodum noſtræ ætatis homines non uerentur loqui: ſed quam Dominus docuit offerri in uniuerſo mundo. Et ſub finem eiuſdem capitis: Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ: & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim ei, quæ ſunt eius, congruenter communica-

nicationem & unitatem prædican tes carnis & ſpiritus. Quemadmo dum enim qui eſt à terra panis, percipiens uocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Eu- chariſtia, ex duabus rebus con- ſtans, terrena & Cœleſti: ſic & cor- pora noſtra percipientia Euchari ſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Of- ferimus autem ei, non quaſi indi- genti: ſed gratias agentes donati- oni eius, & ſanctificantes creatu- ram. Quemadmodum enim De- us non indiget eorum, quæ à no- bis ſunt, ſic nos indigemus offer- re aliquid Deo. Hæc, & plura his Irenæus, diſcipulus eius prǫcepto- ris, qui ſuam doctrinam ex ore Apoſtoli & Euangeliſtæ per uiuã uocem didicerat. Quid uidetur

uobis

uobis uiri fratres, ſunt'ne tales ſa
tis idonei harum rerum teſtes?
Mirabor ſi quis ea ſit fronte, ut il-
los tot, tales ac tantos audeat re-
pudiare: ſed ut ex illis, quæ pau-
lò pòſt dicturi ſumus, cognoſca-
tis, quàm horribilia ſint, quæ de
hoc Sacramento ac ſacrificio cœ-
perunt loqui homines ab eo tem-
pore, quo dogmata illa ſua publi-
cauit Lutherus: neque adhuc lo-
qui deſinunt, uiſum eſt hæc irrefu
tabilia teſtimonia hic producere.
Quorſum iam opus eſt addere re-
liquos? Quorum ſententias me
quidem delectaret proferre & ex
plicare, niſi uererer, illos qui mul-
tas habent & arduas occupatio-
nes, & tamen harum rerum uerita
tem ſcire deſiderant, multitudine
lectionis grauari. Alioqui non
deeſſent

deeſſent multa ex illo uenerandæ antiquitatis, ac ſuſpiciendæ doctrinæ doctore Tertulliano. Quale eſt illud, quod de uelandis Virginibus ſcribens interſerit de officio Sacerdotum. Non permittitur, inquit, mulieri in Eccleſia loqui: ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius uirilis muneris, nedum Sacerdotalis officij ſortem ſibi uendicare. Videtis´ne inter officia Sacerdotum numerari Offerre? Quid autem offerent aliud, niſi uictimam illam, quam eis offerēdam tradidit Summus ille Sacerdos ac Pōtifex Ieſus Chriſtus? Victimam, inquam, ſacroſancti corporis & ſanguinis ſui? In libro de Corona militis, ibi enumerat multa, de quibus cùm nullã *Tertullianus.*
habea

habeamus legem Scripturæ, ex traditione tamen, & conſuetudine non minus religioſè obſeruantur ab Eccleſia, quàm ſi eſſent in Scripturis præcepta, ibi inter cætera ſic dicit: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus. Quæ'nam ſunt illæ oblationes? Interpretetur nobis illas Ioannes Chryſoſtomus Homilia 69. ad populum Antiochenum, ubi hæc ſunt eius uerba: Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cùm enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, Sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur Sacrificium,

Ioannes Chryſoſtomus.

ficium, quomodo Deum non ex
orabimus pro his deprecantes?
Hæc ibi Chryſoſt. quibus quid po
tuit clarius dici? Audiamus de ea-
dem re Chryſoſtomo antiquio-
rem illum, Epiſcopali dignitate,
doctrinæ excellentia, & martyrij
gloria iuxtà ſuſpiciendum uene-
randumq; Diuum Cyprianum. Is *S. Cyprianus.*
cùm aliàs ſæpiſſimè de hoc ſacrifi-
cio cum ſumma religione loqui-
tur, tum uerò in Epiſt. 9. lib. 1. in
qua monet, ne quis presbyterum
teſtamento conſtituat tutorē aut
curatorem, poſtquam meminit,
quomodo ſacerdotibus Leuitici
generis in Lege proſpectū eſſet,
ut cùm cæteræ Tribus colerent a-
gros, ſacerdotes de omnibus de-
cimas perciperent, ne haberent
opus implicare ſe negocijs exter

 nis:

nis: ſed toti uacarent cultui diui-no, ita ſermonē perſequitur: Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, inquit, ut q in Eccleſia Domini ad ordinationē Clericalem promouentur, nullo modo ab adminiſtratione diuina auocētur, ne moleſtijs & negocijs ſecularibus alligētur, ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquàm decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificijs non recedāt: & die ac nocte cœleſtibus rebus ac ſpiritalibus ſeruiant. Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter prouidentes, cenſuerunt ne quis frater excedens, ad tutelā uel curam clericū nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet, nō offerretur pro eo, nec ſacrificiū pro dormitione eius

cele-

celebraretur. Neq; enim ad altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes, & miniſtros ſuos Leuitas, auocare uoluit. Hæc ibi Cyprianus. Quid ego nunc perſequar cætera, quæ ſunt innumerabilia in libris ſummorum uirorum, quibus ſemper Eccleſia tanquàm columnis quibuſdam innixa eſt: quales ſunt apud Græcos Baſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Origenes, & alij: apud Latinos Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius: & quàm plurimi alij? Quid dicam de perpetuo huius Sacrificij in tota Eccleſia per totum terrarum orbem uſu? Quem Lucas Actuum 13. in ipſis Apoſtolis indicat: nos iam in Apoſtolorum diſcipulis,

ac proximis in Cathedris ſucceſ-
ſoribus apertiſſimè demonſtra-
uimus? Nônne ex his manifeſtiſ-
ſimum eſt, Euangeliſtas, & Apo-
ſtolum Paulum uix minimã par-
tem eorũ, quæ in illa myſtica Cœ
na ſunt geſta à Domino noſtro
Ieſu Chriſto, uel leuiter attigiſſe.
Rem ferè totam non Scriptura
Euangelica aut Apoſtolica, ſed
traditione ad nos perueniſſe. Nã
Chriſtus tradidit Apoſtolis conſe
crationem huius panis & calicis,
& iugi ſacrificio docuit offerre:
quod cùm cæteri, tum uerò Cle-
mens & Irenæus luculẽtiſſimè do
cent: idq́; pro ſalute uiuorum &
mortuorum: ut in Tertulliano,
Cypriano, & Chryſoſtomo uidi-
mus, id quod iam inde ab ipſo
Chriſto paſſo in hodiernum uſq;
diem

diem obſeruat ac facit Eccleſia, obſeruatura & factura uſq; ad cõſummationẽ ſeculi. In quo tam ſtupẽdo Sacrificio tantoperè delectata, gauiſa, & gloriata eſt recens illa adhuc in Apoſtolis, & horum proximis ſucceſſoribus Eccleſia, ut etiam hæreticos, qui ſeſe ab Eccleſia ipſi quantum ad cætera ſegregarãt, arcere ſtuderet quidem, ſed uix poſſet, quo minus ad horum tremendorum myſteriorum gloriam, cum turpi defectione ſe hac reddidiſſent indignos, irrumperẽt. Hoc cùm in alijs multis, tũ uerò in illo 34. cap. li. 4. Irenæi, quod ſuprà citauimus, clariſſimè uidere licet. His itaq; iam ita demonſtratis, ut nemo quicq̃, ſaltem ulla cum ratione, contradicere poſſit, audiamus quæſo uo-

cem illius omnium cenſoris Martini Lutheri. Is cùm illis, quos paradoxis ſuis infecerat, traderet aliquot articulos, quos in generali Concilio proponerent, primũ fecit hunc: Sola Fides in Chriſtum nos iuſtificat. Huic annexuit ſecundum de ſacrificio Miſſæ, his uerbis: Oportet Miſſam in Papatu maximam & horrendiſſimam eſſe abominationẽ, eò quòd directè ac uiolenter pugnat contra hunc principalem articulũ. Attendite quæſo, ô uiri ac fratres in Domino chariſſimi, attẽdite, ecquid unquam aut fando audiſtis, aut legendo inueniſtis dictum non ſolùm inſolentius, uerùm etiam impudentius? ut de blaſphemia interim taceã. Oportet, inquit, Miſſam in Papatu maximam & horren-

rendiſſimam eſſe abominatio-
nem. Quid ita? Nónne iam tot
ſanctiſſimorum uirorum, Epiſco
porum, Martyrum, eorundemq́;
ex ipſorum Apoſtolorum ſcho-
la, ut & maximè ſcire poſſent,
& minimè mentiri uellent, teſti-
monijs comprobatum eſt, Miſ-
ſam eſſe ſacrificium ſummum,
ſacrificium mundum, Deo gratiſ-
mum, ab ipſo Chriſto in ultima
illa Cœna oblatum, traditum A-
poſtolis, & per hos Eccleſię, ut of
feratur per totum mundum, pro
uiuis pariter ac uita defunctis?
Verùm illis (inquit ille) quãtum-
uis multis, quantumuis antiquis,
quantumuis doctis, quantum-
uis ſanctis, quantumuis ipſorum
Apoſtolorũ diſcipulis, ac familia-
ribus amicis, nec nõ in ſedibus ſeu

Cathedris ſucceſſoribus, non credo. Quamobrem non credis? Quia fuerunt homines. Fuerunt quidẽ, ſed homines tales, qui & ſcire hęc exactiſſimè ex ipſis Ieſu Chriſti Apoſtolis potuerunt: & qui propter ueritatis amorem nequaquã aliud quàm uerum ſcribere noluerunt: id quod profuſo ſanguine ſuo teſtati declararunt. Quid tum poſtea? inquit, ego tamen non recipio. Quamobrem quæſo? Eò quod directè ac uiolenter pugnat contra hunc principalem articulum doctrinæ meæ, qui eſt: Sola Fides in Chriſtum nos iuſtificat.

Articulus doctrinæ Lutheri, quod Sola Fides iuſtificet.

Atqui hunc tuum articulum tota damnat Eccleſia. Hanc non audio, inquit. Damnat ipſius Chriſti Apoſtolus Iacobus. Damnat quidem inquit: ſed in ſua illa epiſtola

ſtra-

ſtraminea. Sed damnat præterea Chriſtus ipſe apud Matthęũ ca.7. cùm eos qui tantam habuerunt Fidem, ut etiam prophetarent, dęmonia eijcerent, & uirtutes multas facerent, atq; hęc omnia in nomine Chriſti, in quẽ crediderunt, iubet à ſe diſcedere, eò quòd Fidei huic non addiderint opera iuſticiæ, ſed iniquitatis. Num huius iudicium exhorreſcis? Nõ credo, inquit, Matthæo talia ſcribenti: quia humi repit: inhæret operibus humanis. Cui igitur Euangeliſtarum credis? Ioanni: quia is in altum ſubuolat: is Fidem extollit. Atqui is nõ minus acriter exigit obſeruationem mãdatorum Dei, quã cæteri: & admonet nos, ne patiamur nos tua iſta ſententia, quod ſola Fides iuſtificet, ſe-

duci,dicens: Filioli, nemo uos ſe-
ducat: qui facit iuſtitiam iuſtus eſt,
ſicut & ille iuſtus eſt. non dicit, il-
le qui ſolùm credit, iuſtus eſt: ſed
qui iuſtitiã facit. Quid ais Luthe-
re? ubi eſt tua mens? ubi frõs tua?
Túne audes hoc facere caput do-
ctrinę tuę, quod tam manifeſtè ex
diametro pugnat cum doctrina
Chriſti & Apoſtolorũ eius? Quid
dicis ad illud Pauli: Et ſi habue-
1. Cor. 13. ro omnem Fidem, ita ut montes
transferam, Charitatem autem
non habuero, nihil ſum? Sed Pau
lus loquitur de hiſtorica Fide, in-
quit, & miraculoſa. Imò Luthere,
Paulus expreſſè loquitur, non de
una aliqua ſpecie Fidei, ſed in ge-
nere uniuerſaliter de omni Fide.
Nega hoc, ſi audes. Quid autem
ais Luthere? Soláne Fides in Chri
ſtum

ſtum iuſtificat? Nullæ'ne ſunt aliæ cauſæ efficientes (ut more Dialecticorum loquar)ad hoc neceſſariæ, ut efficiamur iuſti, præter ſolam Fidem? Quid ergo dicemus de Baptiſmo? Quid ad illud uerbũ Domini, Ioannis 3. Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei? Quid de ſanguine Ieſu Chriſti, de quo dicit Ioannes Apoſtolus: Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem: & ſanguis Ieſu Chriſti, filij eius emundat nos ab omni peccato. Quid eſt, emundat nos ab omni peccato? quid aliud, quàm iuſtificat? hoc eſt enim Iuſtificari, à peccato mundari. Quos autem hîc ſanguis *1. Ioan. 1.*

ſanguis iuſtificat? quos emundat? num eos qui nihil aliud quã credunt in Chriſtum? Non hoc dicit Ioannes; ſed, ſi in luce ambulamus. Quid eſt ambulare in luce? An hoc ſit ſolùm credere in Chriſtum? Audi Ioannem ipſum capite ſequenti. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſq; adhuc. Et in fine eiuſdem capitis: Si ſcitis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt. Deus eſt qui iuſtificat, inqt
Roma. 8. Paulus: & tu dicis ſolam Fidem iuſtificare? Iuſtificat autem Deus gratis, hoc eſt, non ex operibus quę feceramus nos, illa enim erãt mala: ſed per gratiam ſuam, per redemptionem quę eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit propitiato

rem,

rem, per Fidem quidem in ſangui
ne ipſius: ſed nequaquam ſolam.
Quemadmodum enim Fides, ſine
qua nemo poteſt placere Deo, do
num eſt gratiæ Dei, ita & Chari-
tas, quam qui non habet, manet
in morte: ita facultas benè ope-
randi: ita & cætera, quę requirun-
tur ad hoc, ut quis iuſtus ſit coram
Deo. Et requirit quidem Deus Fi
dem horum quos iuſtificat: ſed
nequaquàm hanc ſolam: ſed præ-
tereà Spem & Charitatem: & o-
pera Charitatis, Pœnitētiam, Sa-
cramētorum ſuorum uſum, & ho
rum ad iuſtificandum applicatio-
nem. Timor Domini, inquit Sa-
piens, expellit peccatum. Et tu di
cis ſolam Fidem iuſtificare: hocq;
conſtituis caput doctrinæ tuę: q̊d
nuſquam in tota Scriptura diui-
na

na inuenitur: imò Scriptura ipſa multis locis refellit? Vt autẽ hoc obtineas, uis nobis è manibus extorquere, nobis, inquam, ac toti Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti, q̊d Chriſtus ipſe digreſſurus hinc ad Patrem, in mnemoſynon ſui dedit chariſſimæ ſponſæ, diſcipulis tradidit, offerre docuit, in quo quotidiè Deo patri ſua ipſius munera ac dona offerentes, remiſſionem peccatorum & uitam conſequimur æternã. Hoc tam precioſum: hoc tam diuinum: hoc tam inæſtimabile munus à Domino noſtro Ieſu Chriſto ſponſo, donatum unicè dilectæ ſponſæ, tu uocas maximam & horrendiſſimam abominationem? Quis non dicat te eſſe ipſiſſimum Antichriſtum? Sed ad uos reuertor, uiri domini,

Sacrificiũ Miſſæ.

ni, & fratres in Domino Ieſu chariſſimi, expendite mihi queſo hec duo Lutheri dogmata, de iuſtificante Fide, & ſacrificio Miſſæ: & uidete quanto cum ſacrilegio ſacroſanctum hoc, & ineffabilis myſterij ſacrificium ex Eccleſia tollere conetur, ut ſuū illud tam impium de Iuſtificatione dogma, hoc eſt, abominandum idolum, in loco eius conſtituat. Atq; hactenus quidem de illis Cœnæ illius myſticæ partibus, quibus nos ſpoliare aggreſſus eſt, ex ea occaſione, quòd Euangeliſtæ parciùs obſcuriusque de eis locuti ſunt. Nunc tempus eſt, ut uideamus qua arte uerba illorum tractet, ut perſuadeat imperitis, ipſam ſponſam Chriſti Eccleſiam, eſſe ſacrilegam, & perfidam

in ſponſum ſuum , impiamq́; in filios, quod Euchariſtiæ hoc Sacramentum non miniſtrat laicis ſub utraq; ſpecie, tam uidelicet uini, quàm panis. Hîc attendite obſecro uiri doctiſſimi prudentiſſimi'que, attendite quæſo, ut exactè cognoſcatis illius ſeleſtiſſimi (neq; enim hic dolor meus ſinit me diutiùs illum mitioribus nominibus appellare) dolos, & quid, dum tam atrociter criminatur Eccleſiam, ipſe moliatur. Arripit id quod eſt apud Matthæum: Bibite ex hoc omnes: & quod apud Marcum: Et biberunt ex eo omnes. Ex his contendit neceſſariò conſequi, oportere tam populum, quàm ipſum ſacrificātem ſacerdotem, utranq; ſpeciē ſumere, panis inquā & uini; alioqui nō ſumere

Lutheri fallaciæ circa communionem ſub utraq; ſpecie.

Math. 26.

Marc. 14.

ſumere ipſum integrum Sacra-
mentum. Hoc ita contendit: hoc
ita urget, ut interim doloſiſſimè
diſſimulet omnes illas circunſtan
tias, quæ in eo quod in illa Cœna
geſtum eſt, ſumma cum diligen-
tia ſunt attendendę & obſeruan-
dæ. Hæ ſunt: Perſonæ illorum ad
quos hæc locutus eſt Dominus:
tempus quo locutus eſt: cauſa ob
quam locutus eſt: quo deniq; ſen-
ſu locutus ſit. Has circunſtantias
ille doloſè diſſimulat omnes: & af
fingit alias, quæ illic nullum ha-
bent locum. Ad quos dixit Do-
minus illa uerba: Bibite ex hoc
omnes? Num ad alios quàm ad il
los, qui aderant? Si ad alios dixiſ-
ſet, aut alios his uoluiſſet indica-
re, non dixiſſet, Bibite, ſed bibãt.
Hi autẽ erant illi duodecim, quos

elegerat in Apoſtolos: ſic enim a-
Math. 26. pud Matthæum legitur: Veſpere
autem facto, diſcumbebat cum
duodecim diſcipulis ſuis. Quãdo
uerò dixit? Tunc dixit: quando
fecit eos Sacerdotes, ac docuit
quomodo panem illum & calicẽ
conſecrare deberent, quomodo
Euchariſtiam præparare, quomo
do ſacrificium offerre, ut uidere
eſt apud Irenæum in illo capite
quòd ſuprà citauimus. Tunc di-
xit, Bibite ex hoc omnes: tunc o-
mnes ex eo biberũt: quemadmo-
dum uidemus ſemper in Eccleſia
fieri, quotieſcunq; ſacerdotes cõ
ſecrant & offerũt illam hoſtiam.
Hîc nullũ uerbũ eſt, imò ne apex
quidem ullus, ex quo colligi poſ-
ſit, illum mandare, ut Sacramen-
tum hoc miniſtrent populo ſub

utraq;

utraq; ſpecie. In ſacrificio quidem quod ibi inſtituit, & docuit ſuos diſcipulos offerre, neceſſariũ eſt utranq; ſpeciem conſecrare atq; offerre propter myſterium mortis Dominicæ, in qua ſanguis una cum aqua de latere Domini promanauit. Neceſſariũ præterea eſt ut ſpecies conſecratę ſumantur: ſi non ob aliud, ſaltẽ ne qua fiat iniuria Sacramẽto: præſertim ſub ſpecie uini: quod difficilè eſt ita reponere, ut non patiatur incõmodũ. Vnde ſacerdotib⁹ cõſecrantibus mandata eſt utriuſq; ſpeciẽi ſumptio: laicis aũt nuſquã: ac ne ipſis quidem ſacerdotibus, niſi quando conſecrant. Vnde aliàs laicorũ ritu alteram duntaxat ſpeciem ſumunt. Et quanquam in eo ſacrificio repræſentatur & annunciatur

 mors

mors Domini, donec ueniat, iu‑
xta uerbum Apoſtoli, nemo ta‑
men imaginari debet, ſub ſpecie
panis eſſe corpus Chriſti ſine ſan‑
guine: & ſub ſpecie uini in calice
ſanguinem ſine corpore. Neſtorij
hîc fuit error, iam olim ab Eccle
ſia condemnatus atq; exploſus.
In quē tamen rurſus impingunt
illi, qui tantoperè urgent utranq;
ſpeciem. Quid enim eſt, quod con
queri poſſunt ſe altera Sacramen
ti parte fraudari? ſi piè cum Eccle
ſia credunt, neque corpus Chriſti
ſub ſpecie panis eſſe exangue &
mortuum, ſed uiuum cū ipſo ſan‑
guine, cum ipſa anima, cum ipſa
deniq; Deitate, ut qui manducat
hunc panem, totum Chriſtum,
Deum & hominē manducet: neq;
in calice ſanguinē ſine corpore,

totoq; Chriſto, ut qui bibit hunc calicem, totum Chriſtum ſumat, quemadmodum qui ſumit panẽ. iam nullam habent ullius querelæ cauſam, quaſi aliqua Sacramẽti parte fraudentur. Sed obijciũt: Nonne ut totũ ſit Sacramentum requiritur utraq; ſpecies? Reſpõdeo, requiritur & nõ requiritur. In ſacrificio requiritur: quia hic repræſentatur mors Domini, cũ effuſione ſanguinis facta. In ſumptione nõ requiritur: quia hic ſatis eſt ſumere illum qui præſtat uitam æternam. Qui manducat hũc panem, inquit apud Ioannem, uiuit in æternum. Vnde Dominus Ieſus ipſe in Cœna quidem, quando docuit ſuos Sacramẽtum hoc conficere & offerre, dicens, Hoc facite in meam commemorationem, *Ioan.6.*

 nem,

nem, noluit id ſine calice fieri: uo-
luit om̃es ex calice bibere. Aliâs
uerò quando non docuit ſacrifi-
care, ſed tradidit ſolùm ad ſumen-
dum, tradidit panem ſine calice:
ut uidere eſt Lucæ 24. Nam cur nõ
audeamus locum illum de Sacra-
mẽto hoc intelligere, cùm ita in-
telligatur à probatiſſimis Eccle-
ſiæ doctoribus, præſertim Augu-
ſtino, Chryſoſtomo, Theophy-
lacto, aliisq́; : & uerba Euangeli-
ſtæ hanc ſentẽtiam aperte præfe-
rant? Et factum eſt, inquit, cùm
recumberet cũ eis, accepit panẽ,
& benedixit, ac fregit, & porrige-
bat illis. Ecce quid potuit aperti-
us dici de conſecratione panis illi-
us. Adde, quod ſtatim guſtato ab
illis pane, uirtus ipſius Sacramenti
eluxit: Et aperti ſunt oculi eorũ,
inquit

inquit Euãgeliſta, & cognouerũt eum. Quod Theophylactus ex- plicat his uerbis: Inſinuatur & a- liud quiddã (inquit) nempe quod oculi eorũ, qui benedictũ panem aſſumunt, aperiuntur, ut cogno- cant illum. Magnam enim & in- dicibilem uim habet caro Domi- ni. Obſecro uiri prudẽtiſſimi, ex- pendamus hęc, & uideamus, ecqd poſſit his tam manifeſtis ulla cũ ratione contradici? Et tamẽ tan- ta eſt quorundam hominum ma- litia, & præfractiſſima pertinacia, ut undecunq; poſſunt conquirãt, quibus tam clarum argumentum eludant: ut quod adferunt cõmen tũ de conſuetudine Hebræorum, gratias agentiũ ante ſumptionẽ cibi: & neſcio quæ alia, quæ nihil ad hanc rem faciunt. Quod ſi qui

Theophylactus.

 forte

fortè etiam ex receptis doctori-
bus Eccleſiæ hæc non tam acutè
perſpexerint, ideoq́; locum illum
apud Lucam aliter ſint interpre-
tati, (neq; enim omnium oculi ui
dent omnia, præſertim in myſte-
rijs Scripturarum) an horum er-
ror plus apud uos ualere debebit,
quàm illorum tantorũ uirorum
intellectus uerus, & interpretatio
uera? Quin etiam ſæpè fit, ut unus
aliquis egregius doctor unũ eun
demq́; Scripturæ locum aliàs ali-
ter interpretetur: cùm nemo no-
ſtrum ſit, cui non ſoleat accidere,
ut rem aliquam nunc obſcurius
uideat, imò ne uideat quidem,
nunc autẽ perſpiciat clarius. Nos
itaq; nihil de eo dubitamus, quod
tam clarè ſcriptum inuenimus a-
pud Euangeliſtam Lucam: & tam
doctè

doctè fideliterq́; à tantis Eccleſiæ doctoribus explicatum. Et magna animi noſtri conſtantia cum Eccleſia Dei matre noſtra, credimus, confitemur, aſſerimus atq; defendimus, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ne minimo quidem uerbulo uſquàm præcepit, ut laico populo miniſtretur Sacramentum Euchariſtię ſub utraq; ſpecie: ſed quod in illa myſticā Cœna docuit diſcipulos ſuos, quomodo hoc Sacramentum debeant conficere, conſecrare, offerre, & ipſi in ipſo ſacrificio ſumere: apud Lucam uerò eo loco, quem citauimus, ſuo ipſius exemplo & facto clariſſimo docuit ac declarauit, nihil aduerſus inſtitutum, uerbum, aut præceptum ſuum, ſed rectè facere Eccleſiā ſponſam

 ſam

ſam ſuam, quod commutata con
ſuetudine illa multis modis in-
commoda pro ratione temporũ
conſuetudine commodiore, Sa-
cramentum hoc filijs ſuis ſub ſpe
cie panis tantùm miniſtrat: ad eui
tandum incommoda illa, & of-
fendicula, quæ toties experta eſt
in illa diſpenſatione utriuſq; ſpe-
ciéi: & ad excludendum illum ex-
ecrandum errorem Neſtorij, quo
ille ſomniabat, ſub ſpecie panis
eſſe corpus exangue, ſine anima,
ſine uita, quale quomodo nobis
uitam dare poterit, quam ipſum
non habeat? & ſub uini ſpecie in
calice, eſſe effuſum & corpore a-
nimaq́; deſtitutũ ſanguinem: qui
nihil plus nobis conferre poſſet,
q̃ illud exangue mortuumq́; cor
pus. Videtis itaq; etiã hîc uiri fra-
tres,

tres, q̃ atroci iniuria Lutherus af
ficiat Eccleſiã Dei ſua illa ſiniſtra
interpretatione uerborum Domi
ni, quibus is in illa myſtica Cœna
eſt uſus, dũ ille impingit ipſi Ec-
cleſiæ, ꝙ filios ſuos fraudet parte
dimidia Sacramẽti, quod accepit
à ſponſo, ut eo paſcat ſeu nutriat
filios ſuos. An non ſatis bibimus
ex calice omnes, quando ſub ſpe-
cie panis id ipſum q̊d eſt in calice
ſumimꝰ totũ? hoc eſt, uniuerſum
ſanguinẽ Chriſti, unà cũ ipſo toto
corpore, cũ tota anima, deniq; cũ
ipſo Deo integro ac toto? Quid
eſt, q̊ hic nos fraudet piẽtiſſima no
ſtra mater Eccleſia? Quid eſt de q̊
hic poſſimꝰ cõqueri? An nõ credi
mꝰ hęc ita ut diximꝰ in illo Sacra
mẽto habere, ut quicũq; ex alteru
tra ſpecie uel exiguã aliquã parti
culam

culam ſumat, hic ſumat totum Chriſtum? Qui hoc non credunt, hi ſunt prorſus ab hoc Sacramento arcendi, tanquam infideles, & indigni corporis & ſanguinis Domini. Videtis uiri fratres, quam ſicam hoſtis ſub illa ueſtis ouillæ lacinia, hoc eſt, uerbis illis diuinæ Scripturę, Bibite ex hoc omnes, texerit? Sed uideamus etiam quæ uulnera fecerit. Principiò certiſſimum eſt, eos qui tantoperè urgent utranq; ſpeciē, uicinos eſſe errori Neſtorij. Nam ſi nobiſcum crederent ea, quæ iam clariſſimis Scripturis & rationibus oſtendimus eſſe credenda, nequaquàm illud affectarent: ſed læto gratulabundóq; animo de manu materna acciperent munera patris. Sed quia ſomniant aliquid eſſe in calice

Quæ mala ſub illo dogmate lateant.

lice ſub ſpecie uini, quod non acci
piant de manu presbyteri ſub ſpe
cie panis, uolunt ſibi utranq; ſpe
ciem exhiberi. Hoc certè unum
eſt uulnus quod coniunctum eſt
cum graui periculo mortis. Huic
proximum eſt multò etiam atro
cius alterum, quod uidemus & au
dimus multos ex illis ſacerdoti-
bus, qui ab Eccleſia ad Lutheri
ſectam defecerunt, dictitare, ſe o-
ptare, ut pro ſingulis Miſſis, quas
dum eſſent in Papatu celebrarũt,
ſingulos homines occidiſſent. Ni
hil enĩ aliud eſſe offerre Miſſam,
quàm Chriſtum denuò crucifige-
re. Quale uobis uidetur hoc uul-
nus uiri prudentiſſimi, chariſſi-
mi'q; fratres? Atqui hoc non alia
ſica inflixit hoſtis, quàm ea per-
ſuaſione, quod ſub ſpecie panis cõ
ſecre-

ſecretur exangue mortuũq́; cor-
pus Chriſti: & in calice ſub ſpecie
uini profuſus ſanguis eiuſdem ſi-
ne reliquo Chriſto. Quid horri-
bilius de his ſacroſanctis myſte-
rĳs aut dici aut cogitari poteſt?
Obĳciet fortè aliquis, Lutherum
hoc non dicere. Reſpondeo, ſiue
dicat, ſiue non dicat, qui dogma
eius amplectuntur, illi hoc ex eo
colligunt, id quod uerbis tã blaſ-
phemis ſatis produnt. Huic pro-
ximum eſt uulnus tertium non
minus letale. Quodnám eſt illud?
hoc nimirum, quod dum falſò
perſuadet imperitis, ipſos dimi-
dio Sacramenti fraudari ab Ec-
cleſia, ipſe ſubtrahit illis Sacra-
mentum totum, & loco eius ap-
ponit illis Idolũ ſuum. Quánam
hoc efficit arte? Quia cùm Eucha-
riſtia

riſtia nõ poſſit à quis homine cõ
fici, ſed à ſacerdote, idq́; eo ritu,
quem docuit Chriſtus diſcipulos
ſuos in ultima illa ac myſtica Cœ-
na, per ſacrificium, ut ex illis quæ
ex Ignatio, Clemente & Irenæo
iam antè citauimus patet, Luthe-
rus ipſum ſacerdotium cum ſacri
ficio ſuſtulit, aſſerens Miſſam eſſe
abominationem omnium hor-
rendiſſimam. Quod ut perſuade-
ret, ſcripſit in ipſum ſacrum cano
nem Miſſæ librum, ex meris hor
ribilibusq́; blaſphemijs compoſi-
tum. Vnde fit ut illius ſectę ſacer-
dotes nunquam legant Canonẽ:
ſed agãt neſcio qd à Luthero ſibi
præſcriptũ: quo non poſſunt cõfi-
cere Euchariſtiã. Neq; ſunt ſacer-
dotes, cũ nõ ſint legitimè ordina-
ti, ut etiã hac ratione nõ poſſint.
Quod

Quod ſi qui ordinati ſunt, hi nō ſunt alij, quàm qui ab Eccleſia ad ſectam defecerunt: ideóq; à iure Sacerdotij exciderunt: neq; uolunt cum Eccleſia ritu illo conficere Euchariſtiam, quem Apoſtoli à Chriſto, Eccleſia uerò ab Apoſtolis accepit atq; obſeruat. Ergo quod ipſi porrigunt populo, nihil minus eſt quàm Euchariſtia: nihil minus quàm corpus & ſanguis Domini. Ecce uiri ac fratres chariſſimi, hi ſunt fructus illius doctrinæ, quā nobis ille ſub ſplendido plauſibilíq; titulo Euangelij propoſuit, & miſerę Germanię magna ex parte perſuaſit. Quibus autem perſuaſit, eos in errorum labyrinthos inexplicabiles introduxit. Prætereà ita diſſidijs, perfidia, proditionibus, & funeſtiſſi-

mis

mis bellis impleuit & perturba-
uit om̄ia, ut nemo iam ſcire que-
at, quē tutò ſequi, cui adhærere ſi-
ne periculo poſſit. Videtis uiri ac
fratres, quàm multa, quàm atro-
cia, quàm letalia uulnera latro ille
crudeliſſim⁹ inflixit populo Dei,
id'q; ſua illa ſanguinaria ſica, quam
nefario dolo ſub lacinia ueſtis, ex
pannis Scripturæ diuinæ, arte dia-
bolica conſarcinatæ, texit. Porrò
quòd aio arte diabolica id eſſe fa-
ctum, eius rei teſtis eſt ipſe Luthe-
rus in libro de Miſſa priuata: ubi
ſcribit ſibi accidiſſe, ut aliquando
ſub medium noctis euigilans, au-
diuerit Satanam ſecum diſputan-
tem de Miſſa priuata, & indican-
tem hanc eſſe horrendam Idolo-
latriam: neq; eſſe ibi corpus & ſan
guinem Chriſti, ſed tantùm pa-

nem & uinum adorari, & adoran-
dum proponi. Ecce uiri prudentiſ-
ſimi, clariſſimiq; fratres, hic Luthe
rus ipſe indicat à quo præceptore
hæc didicerit: de quo præceptore
noſter Dominus & præceptor Ie-
ſus Chriſtus, à quo, & à cuius diſci
pulis nos accepimus, hæc quæ de
ſacrificio Miſſæ, & Sacramẽto Eu-
chariſtiæ piè credimus, ac fortiter
defendimus, apertè pronunciat,
quòd ab initio homicida fuerit, &
mendax, atque ipſius mendacij pa
ter: Ioannis 8. Talis præceptor do
cuit Lutherum, ipſo Luthero te-
ſte. Ab huius itaq; diſcipulis quan
tum nobis periculi ſit, cùm quiuis
uir prudens facilè per ſe intelligit,
tum multis locis monuit Domi-
nus noſter Ieſus Chriſtus: monue-
rũt & Apoſtoli eius in ſuis Epiſto
lis.

lis. Quę ſi omnia huc allata expli-
cuero, fecero quidẽ rẽ minimè in-
utilẽ: ſed quo breuior ſim, unum
duntaxat adferã, ꝙ eſt apud Mat-
thæum ca.7.ubi concluſurus eſt di
uinum illũ ſuum ſermonẽ in mon
te habitũ. Attendite, inquit, à fal-
ſis Prophetis, qui ueniunt ad uos
in ueſtimentis ouium: intrinſecùs
autem ſunt lupi rapaces. Qui ſunt
illi falſi Prophetæ? Sunt falſi atq;
doloſi ſacræ Scripturæ interpre-
tes: quales neceſſe eſt eſſe eos, qui
ſuas interpretationes & ſententi-
as diſcunt ex Diabolo. Quæ uerò
ſunt illa ueſtimẽta ouium, quibus
illi ſeſe contegunt? Non alia, uiri
ac fratres, quàm uerba Scripturæ
diuinæ. Hæc à præceptore ſuo Dia
bolo didicerunt, ita ſibi accommo
dare atque induere, ut imperitis

uideantur, eſſe prophetæ Dei, A-
poſtoli Ieſu Chriſti, & ueriſſimi
ſynceriſſimiq́; pręcones Verbi di-
uini. Sed quibus notis ſunt cog-
noſcendi? A fructibus eorum, in-
quit Dominus, cognoſcetis eos.
Quid iam dicemus uiri ac fratres
chariſſimi? Quid, inquam, ad hoc
uerbum Domini dicemus? Nondũ
ſatis uidimus? nondum ſatis guſta-
uimus de fructibus maledictæ il-
lius arboris? Nondũ uidemus quã-
tas prædas ille ſæuiſſimus hoſtis
eripuerit ciuitati Dei? Nondum
uidem⁹ quas ſtrages crudeliſſimus
ille & ſanguinarius latro ediderit
in populo Dei? Dominus noſter
Ieſus Chriſtus de Diabolo dicit, ꝙ
homicida fuerit ab initio, & eos
qui ex illo ſunt deſyderia eius uel-
le facere. Expendamus hoc uer-
bum,

bum, & exigamus ad eius regu-
lam uerba & facta Lutheri. Is o-
lim cùm audiſſet ingentem illam
Ruſticorum ſtragem factam eſſe
in ſuperiori Germania, ipſe Vuit-
tembergæ pro concione publicè
proclamauit: Videtur uobis ma-
gnum miraculum, quod illic ali-
quot Ruſtici ſunt interfecti. Iſtud
minutum eſt, & præludium quod-
dam ad ea quæ ſequentur. Opor-
tet enim eò uſq; rem peruenire, ut
in Germania per ſanguinem eatur
uſq; ad talos. Hæc illum ita dixiſſe
retulit mihi uir quidam integerri-
mus, meus aliquando in ſchola
Embricenſi laborum ſocius, no-
mine Eberhardus Hulſchedius,
qui tũc Vuittembergæ ſtudiorum
gratia degens, ex ipſius Lutheri
ore audierat. Nec dubito adhuc ui-
 uere

uere multos, qui idem audiuerint, atq; teſtari poſſint. Atque utinam perditus ille in hoc fuiſſet Prophe ta tam uanus, quàm fuit in ſua illa diabolica doctrina doloſus ac fal- ſus. Nam quàm cruēta bella? quā torum Principum captiuitatem? quot & quātorum Principum in uno etiam prælio ſtragem uidi- mus? Abhorret animus enumera re omnia, ne dicam explicare. O noſtra Germania: quò recidiſti? Atqui ad hæc omnia tam triſtia, tam cruenta, tam funeſta, tam de- nique tetra atque deformia bella unus Martinus Lutherus claſſi- cum cecinit. Attamen hæc omnia leuia ſunt, adeóque nihil prope- dum, ſi conferantur illi innumera bilium animarum ſtragi, quas per ditiſſimus ille peſtiferæ ſuæ doctri

næ toxiço interfecit. Hac ſica ad-
huc graſſatur in terris, cùm ipſe
ardeat apud inferos: hanc per cru
entas militum, hoc eſt, diſcipulo-
rum ſuorum dextras adhuc ſtrin
git, uibrat, & miſerorum homi-
num, priuſquàm uideant ac ſen-
tiant, cordibus infigit. Ipſe qui-
dem à ſuo illo tenebrarum prin-
cipe, quem Dominus noſter Ieſus
ait ab initio fuiſſe homicidam, cui
tam ſtrenuam in bello, hoc eſt, la-
trocinio ſuo nauauit operam, eò
quò dign⁹ erat abreptus eſt, digna
militiæ ſuæ ſtipendia percipiens.
Vt tamen abreptus etiam abſens
graſſari poſſet, reliquit ſuos tyro
nes: reliquit & libros peſtilentiſſi
mis dogmatibus, tanquam pha-
retras uenenatis ſagittis, illius hy
dræ felle undiq; tinctis repletos,

hàs ſagittas illi non ſolùm neruo letiferæ linguæ torquent in eos, quos in conſpectu habent præſentes: uerùm etiam ipſas pharetras imprudentibus, ad quos ipſi peruenire non poſſunt, ſuggerunt, ut dum ipſi per imperitiam ſagittas uerſant, ſemetipſos lædant & interficiant: quemadmodum de Philoctete & Pholo antiquitùs traditum legimus. Quid igitur faciemus? uiri ampliſſimi, & chariſſimi in Chriſto fratres, quid conſilij capiemus, ut tandem aliquando ab illo tam crudeli hoſte, ab illo tam ſanguinario latrone, ab illa tam tetra & immani beſtia liberemur? Videmus enim quàm crudeliter adhuc in media domo in famulos famulasq; Dei, in medio ouili in oues Chriſti graſſetur, quàm omnia

Quæritur conſilium medendi his malis.

nia

nia ſurſum deorſumq́; agẽdo hoc agat, ut nihil uiuum, nihil integrũ in domo relinquat: & ut aliquando peregrè reuerſus Paterfamilias, familiam trucidatam, ac totam domum euerſam offendat. Quid, inquã, faciemus, ut ab hoc hoſte liberemur? Confugiemus ad eum, ad quem omnes qui ſapiunt, in iſtiuſmodi periculis & anguſtijs conſtituti confugere ſolẽt, nempe ad dominum Deum: qui unus & conſilium optimum, & auxilium præſentiſſimum præſtare poteſt. Neque poteſt ſolùm, uerùm etiam propenſiſſimus eſt ut uelit: ſi modò uideat nos ſeriò hoc à ſe petere. Quibus autem rationibus hoc illi perſuadebimus? quibus ſignis declarabimus? Has rationes uiri ac fratres, oportet eſſe

ueriſſimas: hæc ſigna certiſſima. Neque enim is eſt, qui noſtro, hoc eſt, humano more decipi queat: omnes intus & in cute nouit, penetrat, ac perſpicit omnia, etiam ea quæ in intimis cordium penetralibus ſunt recondita. Quod ſi uideat nos toto corde ad ſe cõfugere: neque in prudentia, neque in potẽtia noſtra cõfidere: ſed cũ regio illo Propheta hoc modo in cor-
Pſalm.19. dibus noſtris loqui: Hi in curribus, & hi in equis: nos autẽ in nomine Dei noſtri inuocabimus: atque hoc ipſum non lingua ſolùm ſonare, uerùm etiam in cordibus, ut dixi, firmiter proponere, & factis declarare: tunc adeo non differet auxilium ſuum, ut etiam uota noſtra & petitiones ſit anteuer-
Pſalm.31. ſurus. Sic enim in alio Pſalmo canit

nit idem Propheta: Fortitudinẽ meam apud te cuſtodiam, quia tu es Deus ſuſceptor meus: Deus meus, miſericordia ei⁹ pręueniet me. Sed ò miſeram huius noſtri exilij conditionẽ. Vt nullum habemus refugium tutius, in quibuſcunque etiam periculis & afflictionibus ſimus conſtituti, quàm Dominum Deum, ita nihilò minus ille Satan etiã hic habet laqueos ſuos, quos nobis tendat: & quibus ſæpè ingẽtes prædas, maximos Principes cum plurimis hominum millibus illaqueatos capit. Habet enim ad eam rem auxilia ex nobiſmetipſis. Nam circumferimus occultũ intra nos hoſtem, carnem noſtram cum ſuis peſtiferis affectibus: inter quos uel primas tenet illa, quam Græci φιλαυτίαν uocant,

In dicendæ cu. in hoc ipſo, quod ad Deum cõfugimus.

qua

qua quiſq; ſemetipſum ſtultiùs a-
mat, ſibi ipſi blanditur, ſemetip-
ſum efferre ſtudet. Hic morbus
ita dementat homines, ut etiam il
lis diuinis ſententijs & oraculis de
confugiendo ad Deum, abutantur
in contemptum eorum, qui ipſius
Dei ordinatione & uoluntate re-
bus humanis præſunt: & quos De
us tanquàm ſemetipſum audire
mandauit. Non enim abiecerunt
te, inquit ad Samuelem, ſed me, ne
1. Reg. 8. regnem ſuper eos. Et ad Apoſto-
Lucæ 10. los ſuos: Qui uos audit, me audit:
& quos ſpernit, me ſpernit. Mul-
ti itaq;, his per contemptum præ-
teritis, putarunt ſe rectà confuge-
re ad Deum, ſed hoc ipſo receſſe-
runt à Deo, & inciderunt in laque
os Diaboli: & in horribilem inte-
ritum. Exemplum non poteſt eſ-
ſe

ſe memorabilius, quàm quod ex-
tat Numeri 16. de Coreh, Dathan,
Abiron, & Hon, cæteriſque illis
ducentis quinquaginta uiris pro-
ceribus Synagogæ: qui in tanta e-
rant authoritate, ut tēpore Con-
cilij nominatim uocarētur. Hi cœ-
perunt faſtidire Moyſen & Aaro
nem, & recta contendere ad De-
um, arbitrati ſe non minus ad hūc
pertinere, nec minus huic eſſe cha
ros, quàm illos: ideoq; his uerbis
illos aggrediuntur: Sufficiat uo-
bis quia omnis multitudo ſancto-
rum eſt: & in ipſis eſt Dominus,
Cur eleuamini ſuper populū Do-
mini? Ecce, putarunt ſe effugere
tyrannidē Moyſi & Aaronis (ſic
enim ipſi interpretabantur) & re-
cta cōfugere ad Dominum. Quo-
modo autem ab hoc ſunt excep-
pti?

pti? Sequitur aliquantò pòſt in eo
dem capite: Dirupta eſt terra ſub
pedibus eorum, & aperiens os ſu-
um deuorauit illos cum taberna-
lis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eo-
rum: deſcenderuntq́; uiui in infer-
num operti humo, & perierũt de
medio multitudinis. At uerò om
nis Iſrael, qui ſtabat per gyrum, fu
git à clamore pereũtium, dicens:
Ne fortè & nos terra deglutiat.
Sed & ignis egreſſus à Domino
interfecit ducẽtos qnquaginta ui-
ros, qui offerebãt incenſum. Quid
ita? quid commeruerãt? quę́nam
erat tam horrendi ſupplicij cauſa?
Nónne rectà confugerunt ad Do-
minum? Nónne hunc ſacrificijs
ſuis coluerunt? Huic maluerunt
obedire quàm hominibus: hocci-
ne peccatum eſt? Non eſſet uiri
ampliſſi

ampliſſimi, & fratres in Chriſto chariſſimi, non eſſet, inquam, peccatum, ſi homines illi non eſſent in eo loco, & ea poteſtate conſtituti, cui reſiſtere nihil aliud eſt, quàm Deo ipſi reſiſtere. Qui reſiſtit poteſtati, inquit Apoſtolus, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Sunt'ne plura harum rerum exempla? Saul cùm eſſet Rex Iſraël, non reſiſtit quidem Samueli Sacerdoti in faciem, ut fecerunt Coreh, Dathan, & cæteri illi: ſed cùm Samuel uideretur ceſſare in ſuo officio, nec ueniret ad diem ſacrificio conſtitutum, populus'que non ſine graui periculo dilaberetur, iuſſit ſibi afferri holocauſtum & pacifica: & obtulit holocauſtum.

Rom. 13.

cauſtum. Ecce, in ſumma trepida-
tione, & anguſtijs maximis conſti
tutus cõfugit ad Deum: quod plu
ribus uerbis explicatur 1. Reg. 13.
Cùm autem tandem ueniret Sa-
muel, & Saul facti ſui rationem
redderet, quid audiuit? Stultè egi-
ſti, nec cuſtodiſti mandata domini
Dei tui, quæ præcepi tibi. Quod ſi
non feciſſes, iam nunc pręparaſſet
Dominus Regnum tuum ſuper
Iſrael in ſempiternum. Sed nequa
quam Regnum tuum ultrà con-
ſurget. Quæſiuit Dominus ſibi ui
rum iuxta cor ſuum: & præcepit
ei Domin9, ut eſſet dux ſuper po-
pulum ſuum, eò quòd non ſerua-
ueris, quę pręcepit Dominus. Quę
nam erant illa? Nimirum ut Saul
obiret ea munera, quæ pertinerẽt
ad regem; quæ uerò ad ſacerdotẽ,

ea ne contingeret. Hoc mandatũ quia nõ ſeruauit, reprobatus eſt, & Regnum translatum eſt ad aliũ. Videamus adhuc unum. Quid accidit Ozę filio Aminadab 2. Re. 6? Nónne is uidebatur rem piam facere, quando bobus calcitrantibus, & curru quo Arca domini uehebatur ruinam minante, ipſe manum ſuam extendit ad Arcam, & tenuit eam, ne caderet? Quam autem huius facti ſui mercedem recepit? Iratusq́; eſt, inquit, indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, & mortuus eſt ibi iuxta Arcam Dei. Quid ita? Nónne quod fecit, animo pio fecit? Hic certè nihil aliud apparet. Quare igitur tam grauiter punitus eſt? quare in illo ipſo loco, quo res geſta eſt, neceſſe fu-

it illum mori? Quia tametſi rẽ pi-
am facere uidebatur, tamen hoc
facere, non ad ipſum, ſed ad Leui-
tas pertinebat. Quid accidit Oziæ
regi? Is cũ eſſet rex laudatiſſimus,
2. Par. 20. haberetq́; ſibi Deũ in omĩbus pro
pitium, & ad adiuuandum in pro-
fligandis hoſtibus, Regnoq́; opti
mè conſtituẽdo præſentiſſimum,
tandẽ elatus animo, cœpit ſibi ſu-
mere ea, quæ erant ſacerdotũ: atq;
ilico percuſſus lepra, è domo Do-
mini eiectꝰ eſt. Omitto hic ea quæ
de Ieroboam, aliiſq́; legimus, nõ
minus horribilia. Quibus exem-
plis docemur, quantoperè cauen-
dum ſit, ne quod Prouerbio dici
ſolet, Alienum fundum arantes,
iram Dei in nos prouocemus.
Sunt quidẽ optimi ominis hæ uo
Pſalm. 20. ces, Dominus illuminatio mea,
&

& ſalus mea, quem timebo? Do-
minus protector uitę meæ: à quo
trepidabo? Item illud quo claudi
tur ille Pſalmus: Expecta Domi-
nū, uiriliter age, & cōfortetur cor
tuū, & ſuſtine Dominū. Itē illud:
Non timebo mala: quoniā tu me- *Pſalm.22.*
cum es. Item illud: Dominus mi- *Pſal.117.*
hi adiutor: non timebo quid faci-
at mihi homo. Hæc & alia q̃ pluri
ma his ſimilia ſunt ad exhortan-
dum confirmādumq́; animos no-
ſtros utiliſſima: & ſunt optimi ſe
cundiſſimiq́; uenti his, qui mun-
di huius pelagus nauigātes, ad pa-
triæ noſtræ cœleſtis portum contē
dunt. Sed uiri fratresq́; chariſſi-
mi, prudenter gubernanda eſt na
uis, ne nos uenti illi, quantum-
uis boni atq; ſecundi, impellant
in illos ſcopulos, in quibus illi

quos iam commemoraui naufra-
gium fecerunt. Scopulus eſt hor-
ribilis, uiri fratres, uiolare illum or
dinem, illam œconomiam, quam
Dominus Deus ut ſapientiſſimus
Paterfamilias in domo ſua, ut ab
omnibus obſeruetur, inſtituit: illã
politiã, q̃ in ſua ciuitate Rex po-
tẽtiſſimus ſapiẽtiſſimusq́; erexit.
Hanc nemo unq̃ uiolauit, ſine gra
uiſſima Dei offenſa iraq́;: ſuo au-
tem certiſſimo exitio. Hoc mini-
mè ignorat aduerſari9 noſter Dia-
bolus: ideoq́; ſemper huc reſpicit
in excitandis hæreſum ac ſchiſma
tum tempeſtatibus, ut nos in hũc
ſcopulum impellat. Ad hoc miris
artibus abutitur Scripturis diui-
nis, nec non ſanctiſſimis grauiſſi-
misq́ue ex eiſdem ſententijs, qui
bus in Angelum lucis ſeſe trans-
format,

formať, iuxta uerbum Apoſtoli, ſimulans ſe rectà ducere nos ad Deum, ut abducat à poteſtate & eminentia illa, quam Deus ipſe in hominibus eſſe uult, & ordinauit, ut omnis anima ſuperiori poteſtati ſubdita ſit, eodem Apoſtolo teſte: atque ſub illo ſpecioſo ſummæ in Deo ſolo fiduciæ prætextu eò inducat, ut reiecta poteſtate illa, atq; illo ordine turbato, ſtulticia ac temeritate noſtra certiſſimam grauiſſimam'que iram Dei in nos prouocemus. Inter omnes artes illas, quibus innumerabilibus aduerſum nos ad nocendum inſtructus eſt, auſim dicere, nullam eſſe quà noceat grauius, quàm hac una. Nam furta, adulteria, homicidia, & quicquid eius generis eſt, ad quod ſuis dolis homines indu-

cit, priuatim ſingulos lædũt. Spreta uerò authoritate illorum qui præſunt Eccleſiæ, atq; huius politiæ ordine turbato, corruit ſubitò diſciplina morum uniuerſa, ut omnes eò quò fert ille furioſus animorum impetus proruentes, in omne ſcelerum genus ſeſe præcipitent. Hoc nihil eſt opus nos rationibus aut exemplis docere: docet nos eheu nimis apertè hęc tam horrenda huius noſtri deploratiſsimi ſeculi facies. Neq; eſt quòd ſperemus meliora, imò indies grauiora nobis metuenda ſunt & expectanda, niſi reuertamur quiſq; in ſuum ordinem, in quo Deus, uti militiæ huius noſtræ Imperator, quemque conſtituit: ut hunc unuſquiſque noſtrum pro ſua parte & uocatione fideliter fortiterq; tueatur:

tur: neque proteruè præſumat al-
terum à ſuo detrudere: ſed una-
nimiter nos mutuis auxilījs & of
ficījs iuuemus. Hoc facientes
nos ipſi componemus has diſſidi-
orum tempeſtates: & pacis ſereni
tatem gratiſſimam reducemus.
Vt autem omnes uidere queant,
qua ratione hęc fieri poſſint, ego,
reuocata ab initio in memoriam
ſumma ſacrorum Bibliorum, præ
ſertim quæ ad eam rem maximè
pertinet, breuiter oſtendere cona
bor, qualis illa politia fuerit ab ini
tio mundi ante Legem Moſai-
cam: qualis ſub ipſa Lege: & qua-
lis poſtea facta per Chriſtum, ut
talis maneat uſq; ad conſummati-
onem huius mundi. Principiò
cùm Deus condidiſſet hominem,
ut ſtatim in ipſo primo ſacrorum

Quis ordo In Eccleſia. Bibliorum capite legimus: & con ſtitutum reliquiſſet in manu con= ſilij ſui: ut Eccleſ. 15. ac datis man= datis & pręceptis diceret: Si uolue ris mandata conſeruare, conſerua bunt te: & in perpetuum fidem placitam ſeruare: apponeret illi a= quam & ignem, ut ad quod uellet porrigeret manum: proponeret uitam & mortem, ut utrum place ret eligeret: ille miſer deceptus à ſerpente, extimulante ſuperbiæ & ambitionis affectu, per tranſgreſ= ſionem mandati, incidit in mor= tē: ſtultè & infeliciter illa conſilij *Sacrificiorum origo.* ſui libertate abuſus. Deus aũt pro ſua immenſa miſericordia ſtatim miſertus miſeri, conſolatus eſt eũ, facta promiſſione redēptionis fu turæ per ſacrificium, quòd ſibi ſum mus Sacerdos, unigenitus uideli= cet

cet Filius, in ſua ipſius carne eſſet oblaturus, in expiationem, non ſolùm illius peccati, uerùm etiam aliorum omnium totius mundi. Vt autem huius promiſſionis fidem in animis hominum plantaret: & plantatam in perpetuum conſeruaret, uoluit ſibi fieri ſacrificia & oblationes, quæ eſſent illius promiſſi ſacrificij figuræ, & quaſi pedagogiæ quædam ad ipſum. Neque tamẽ promiſcuè à quibuſ- uis ea ſacrificia fieri uolebat: ſed à ſingulari quodam genere hominum, quod ipſi pro ſuis inſcrutabilibus diuinæ ſapientiæ ſuæ conſilijs placuiſſet ad id eligere. Vnde cum Adam haberet filios duos, maiorem natu Cain, minorem Abel: & Cain quidem eſſet agricola: Abel autem paſtor ouium: &

Non eſt quorumuis ſacrificare.

Abel.

Cain.

uterque inſtitueret offerre Domi-
no: Abelis quidem oblationes re-
ſpexit & acceptauit Dominus: Ca
in autem & eius oblationes non
reſpexit. Is igitur cùm inuideret
hanc gloriam fratri ſuo, eductum
foras in agrũ interfecit. Et factus
profugus ædificauit ciuitatẽ, pro-
creans liberos multos, in quibus
erant omnis generis opifices: ut
Iubal citharœdus: Tubalcain mal
leator, &c. Inuenimus etiam in eo
genere Lamech homicidam: qua-
lis fuit Cain generis autor. In lo-
cum autem interfecti Abelis, Do-
minus dedit Adam & uxori eius
Seth. Euæ alium filium, nomine Seth.
In huius poſteritate manſit Sacer
Enos. dotiũ: ut in Enos & poſteris eius:
ex quibus fuit ſanctus ille Patri-
archa Noë. In quibus omnibus il-
lud

lud obſeruatu dignum eſt, quod hi qui à Seth deſcenderunt, dicti ſunt Filij Dei: illi uerò qui à Cain, filij hominum: ut uidemus Gene.6. Obſeruãdum & illud, quàm infelicia matrimonia coierunt inter filios Dei, & filias hominum: unde Gygantes procreati ſunt: quorum ſceleribus offenſus Deus, diluuio extinxit genus humanum, exceptis Noë cum ſua coniuge: & huius filijs cum ſuis coniugibus. Verùm de his alius fuerit locus differendi: nunc ad inſtitutum noſtrum. Ex Noë & huius filijs rurſum dilatatum eſt genus humanum, non tamen ſine zizanijs. Nam impius ille Cham factus eſt irriſor patris ſui: & maledictus, ſuis ſceleribus etiam poſteritatem fratrum ſuorũ,

Filij Dei. *Filij hominum.* *Noë.* *Cham.*

praeci

prȩcipuè uerò Iaphet, contamina-
uit: quod partim ex libro Gene-
ſeos, partim ex Beroſo percipi-
mus. Sacrificium autem & digni-
tas ſacerdotalis manſit in familia
Sem, qui erat natu maximus in-
ter illos tres. Cæterùm ordo hic,
atque huius ordinis dignitas, &
reuerentia huic ordini ab altero,
quem nos ciuilem dicimus, habi-
ta, nuſquam manifeſtiùs ſe pro-
Melchiſe-dec. Abrahã. dit, quàm Gene. 14. in Melchiſe-
dec & Abraham. In his duobus
mirabili exemplo expreſſum eſt
utriuſque magiſtratus, Eccleſiaſti
ci, dico, & Ciuilis, Pontificis & Im
peratoris, Epiſcopi & Principis of
ficium, id'que in ſumma concor-
dia, charitate, & honore ſibi mu-
tuo exhibendo ſummo. Hic duo
illi gladij in manibus duorũ ſum-
mo-

morum magiſtratuum. Et quan-
quam in Melchiſedec utriuſq; po
teſtas apparet, (erat enim Rex
Salem: ergo habebat gladium ci-
uilem: & Sacerdos Dei altiſſimi:
ergo Eccleſiaſticum, ſeu ſpiritua-
lem) Abraham tamen ciuilē ſtrin-
git: proſternit hoſtes: liberat ca-
ptiuum Loth: reducit uniuerſam
prædam, quam rapuerant hoſtes.
Quid autem Melchiſedec? Profe-
rens panem & uinum, benedicit
uictori Abrahæ: Benedictus A-
braham, inquit, Deo excelſo, qui
creauit Cœlum & terram: & bene
dictus Deus excelſus, quo prote-
gente hoſtes in manibus tuis tra-
diti ſunt. Ecce, mirabili benedicti
one conciliat, ſociat, adeóque in
unum coniungit hominem cum
Deo, ac Deum cum homine: id'q;
inter-

interueniente panis & uini ſacrifi-
cio: præludens uidelicet ad ſacrifi-
cium, quod obtulit, atque diſcipu
los ſuos offerre docuit ille, qui eſt
Sacerdos in æternum ſecundùm
ordinem Melchiſedec. Vtinam ui
ri ampliſſimi, chariſſimiq; fratres,
in hoc tanquã ſpeculo benè ſe con
templentur omnes, quicunq; ma-
giſtratum in populo Dei gerunt,
à ſummis uſq; ad infimos: & ho-
rum exemplum ſtudeant imitari.
Abraham pugnat gladio: Melchi
ſedec offert ſacrificium (nam pro-
pterea additur in Scriptura, E-
rat enim Sacerdos Dei altiſſimi)
dat benedictionem: Abraham
uiciſſim dat decimas de omni-
bus. Quem non delectet conſen-
ſus talis? Quomodo poſſet non fe
liciſſimè florere Reſpub. Chriſtia
na,

na, ſi ita ſe mutuò amarēt, mutuò honorarent ſummi Pontifices, & ſummi Imperatores ac Reges in Imperio & regnis orbis Chriſtiani: Epiſcopi & Principes in ſingulis regionibus ac ditionibus: Clerus & Magiſtratus Ciuilis in ſingulis urbibus, oppidis & pagis: O quàm præclarè tunc haberent res hominum: quàm benè paſtũ: quàm fœcundum: quantoperè multiplicatum gregem Domini, ſub talibus paſtoribus uiderem⁹: quàm tutum ab omni infeſtatione luporum, furum, atque latronum. Neque enim hi poſſunt alia uia commodius intrare in ouile Chriſti, quàm huius concordię, quæ inter utrunq; Magiſtratum eſſe debet, perfoſſo pariete. Quapropter ſemper omnes ſuas artes

Per Epiſcoporũ &

ad

Principũ discordiã lupi intrãt in ouilia. ad hoc expromũt, om̃es ſuas machinas huc admoliuntur, ut hunc parietem rumpant: hoc eſt, diſſidia & bella inter illos magiſtratus *Matth.21.* excitent. Mirabor, ſi hæc non eſt illa ſæpes, quam Paterfamilias circundedit uineæ ſuæ, quam plantarat, ad arcendum ab ea feras & beſtias. Quam qui diſſipauerit, mor- *Eccle.10.* debit eum coluber: & quam deſtructam conqueritur Dauid, his uerbis: Deſtruxiſti omnes ſæpes eius: *Pſalm.88.* poſuiſti firmamentum eius formidinem. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes uiam, &c. Tametſi non ignoro etiam alias interpretationes recipere hanc ſæpem: attamẽ cũ attendimus, quæ poteſt eſſe dẽſior & impenetrabilior illis feris & apris ſæpes, q̃ ſi duo illi utriuſq; ordinis magiſtratus inter ſe ita

conſen

conſentiant, in cuſtodiendo ui-
neam Domini? Quis poteſt eſſe
murus inexpugnabilior, quàm
hæc illorum capitum concordia?
Non inſcitè quidã Epiſcopis cum
ſuo clero: Principibus cũ ſua no-
bilitate: & populo illorum utro-
rumq; curæ & cuſtodiæ diuinitùs
commendato, unicuiq; ſuas par-
tes diſtribuit hoc uerſiculo: Tu
ſupplex ora: tu protege, túq; la-
borá. Si quiſquis noſtrûm iuxta
huius uerſiculi ſententiam ſuam
partem ſine æmulatione murmu
rationéq; aduerſus alterum, ſim-
plici corde, in charitate Chriſtia-
na fideliter tueretur, non poſſent
non optimè habere res noſtræ.
Quod quia non facimus, incidi-
mus in calamitates, quarũ nullũ
poſſumus inuenire finẽ. Et quod

omnium eſt grauiſſimum, nemo hîc ſua peccata agnoſcit: ſed aliorum lynceis oculis obſeruat: & ſit quod ait Satyricus,

Vt nemo in ſeſe tẽtet deſcendere, nemo,
Sed præcedẽti ſpectetur mantica tergo.

Cæterùm ut ſermonem, quem de politia ciuitatis Dei instituimus reuertamur, obſcurata uidetur hæc nonnihil poſt Melchiſedec & Abraham fuiſſe, & cum labentibus annis collapſa, ut opus haberet inſtauratione. Hanc inſtaurationem Deus fecit egregiè per Moyſen & Aaronẽ: per quos populum ſuũ ex Aegypto, liberans eum à tyrannide Pharaonis, eduxit. Hic illam politiam ita inſtaurauit, ut multis etiã rationi

bus

bus cõmuniret, latis multis legi-
bus, cũ de Religione & cultu Dei,
tum de cõſeruanda publica in po
pulo pace: datis præceptis multis
de recte uiuẽdi ratione: cõſtitutis
pœnis grauiſſimis in horũ tranſ-
greſſores. Cũ diſtributus eſſet po-
pulus in trib⁹ duodecim, iuxta nu
merũ filiorũ Iacob, unã tribũ, nẽ-
pe Leui, uoluit eſſe liberã ab agri-
cultura, cæteriſq; oneribus & la-
boribus, ut tota uacaret his quæ
pertinent ad Sacra. Exodi 28. ſic
loquitur ad Moyſen: Applica
quoque ad te Aaron fratrem tu-
um cum filijs ſuis de medio filio-
rum Iſraël, ut ſacerdotio fungan-
tur mihi, &c. Numer. 18. ſic ad Aa-
ron: Tu & filij tui & dom⁹ patris
tui tecũ, portabitis iniquitatem
ſanctuarij: & tu & filij tui ſimul

Aaron cõſtitutus ſacerdos.

ſuſtinebitis peccata ſacerdotij ue-
ſtri. Sed & fratres tuos de tribu
Leui, & ſceptro patris tui ſume
tecum, præſtoq́; ſint, & miniſtrẽt
tibi. Inter hos autẽ uoluit ſem-
per eſſe unum in ea eminẽtia con
ſtitutum, ut penes hũc eſſet ſum-
ma totius ſacerdotij poteſtas. Hũc
ſupremum cõſtituit omnium Iu-
dicem: ut quicquid eſſet difficiliũ
cauſarum, unde cęteri Iudices nõ
poſſent ſe explicare, id referretur
ad huius ſummi ſacerdotis Tri-
bunal, de quo Deuter. 17. clariſſi-
mè ſcriptum & præceptũ eſt his
uerbis: Si difficile & ambiguum
apud te iudicium eſſe perſpexeris
inter ſanguinem & ſanguinẽ, cau
ſam & cauſam, lepram & non le-
pram: & iudicum intra portas tu-
as uideris uerba uariari; ſurge &
aſcen-

aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, ueniesq́; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quęresq́; ab eis, qui iudicabũt tibi iudicij ueritatem: & facies quodcunq; dixerint qui præſunt loco, quē elegerit Dominus, & docuerint te iuxta Legem eius: ſequerisq́; ſententiam eorum, nec declinabis ad dextrã, neq; ad ſiniſtrã. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille: & auferes malum de Iſraël: cunctusq́; populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Ecce, uiri ac fratres, hæc eſt illa inſtauratio, conſtitutio, & confirmatio politiæ,

prꝫſertim quantum ad dignitatē, authoritatem, & poteſtatē ſacerdotalem attinet, quam Dominus Deus per Moyſen & Aaronē fecit, uoluitq; inuiolabilē cōſeruari, uſq; ad aduentū Filij ſui unigeniti in carnē. Nā hic erat futurus uerè Sūmus ille Pontifex, cuius Aaronicus ille umbra duntaxat erat, atq; figura. Quin etiam ipſe unigenitus Filius, iam præſens in carne, uoluit authoritatem illius ſacerdotij per omnia inuiolabilem conſeruari, donec ipſe peracto ſacrificio ſuo, erigeret ſacerdotium Nouum ſecundùm ordinem Melchiſedec. Neque reliquit ulli excuſationi locum, ſi quis detrectare uellet obedientiam propter peccata ſacerdotum, aut etiam Pontificum impieta-

pietatem, ſignificans obedienti-
am hanc non hominibus præſta-
ri, ſed Deo: cuius ordinatione illi
ſacerdotio præſident, ſiue boni
ſint, ſiue mali. Vnde apud Mat-
thæum capite 23. non ſolùm ad
turbas, uerùm etiam ad ſuos diſ-
cipulos, quos iam ad ſacerdotium
Noui Teſtamenti formabat, lo-
quitur hoc modo: Super Cathe-
dram Moyſi ſederunt Scribæ &
Phariſæi. Omnia ergo quæcunq;
dixerint uobis, ſeruate & facite:
ſecundùm opera autẽ eorum no-
lite facere. Dicunt enim & non
faciunt. Quid quòd ipſe filius Dei
Dominus noſter Ieſus Chriſtus,
in hoc uel præcipuè declarauit o-
bedientiam ſuã, quã prẹſtitit Deo
patri uſq; ad mortẽ, ꝙ ſe illis iudi
cibus, quantũuis iniquis & impijs

iudicandum tradidit & permiſit?
In quo Diuus Apoſtolus Petrus
1. Petr. 2. grauiter monet nos, ut obedien-
tiam eius imitemur. Hęc eſt enim
gratia, inquit, ſi propter Dei con
ſcientiam ſuſtinet quis triſtitias,
patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gra-
tia, ſi peccantes & colaphizati ſuf
fertis? Sed ſi benè facientes pati-
enter ſuſtinetis, hæc eſt gratia a-
pud Deum. In hoc enim uocati
eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt
pro uobis, uobis relinquens ex-
emplum, ut ſequamini ueſtigia
eius. Qui peccatum non fecit,
nec inuentus eſt dolus in ore eius.
Qui cùm malediceretur, non
maledicebat: quum pateretur,
non comminabatur: tradebat au-
tem iudicanti ſe iniuſtè. Neque
uerò conniuentibus oculis præ-
tereun-

tereundum eſt, quòd cùm filius
Dei paſſurus eſſet pro genere hu-
mano, non alia ratione pati uo-
luit, quàm adiudicatus morti, idq́;
ſentẽtijs ſummorũ Pontificum:
ad quorum Tribunal in Deute- *Deut. 17.*
ronomio iuſſerat aſcendere, ſi
quando difficilè & ambiguum eſ-
ſet iudicium, ut cæterorum iudi-
cum ſententiæ uariarent. Et huic
iuſſioni addiderat etiam promiſ-
ſionẽ dicens: Qui iudicabunt tibi
iudicij ueritatem. Addiderat &
pręceptum graue, ne quis ab illo-
rum ſententia declinaret: Et fa-
cies, inquit, quodcunq; dixerint,
qui præſunt loco quem elegerit
Dominus, & docuerint te iuxta
Legem eius: ſequerisq́; ſententiã
eorum, nec declinabis ad dextrã,
neq; ad ſiniſtram. Vbi hoc obiter

admonere eſt operæpreciũ, quod quidam infeliciter ſecuti Nicolaũ Lyranum, locum illum peruerſè interpretantur, putantes illis uerbis, Et docuerint te ſecundũ Legẽ eius, hoc dici: Si docuerint te iuxta legem eius, tũc facies quodcunq; dixerint: ſin aliter quam ſecundum Legẽ eius docuerint te, non facies. In hoc Lyranus delirauit nimis. Nam ſi hic eſſet uerborum ſenſus, tunc incertus fieret ſermo promiſſionis, quo paulò antè dixerat: Qui iudicabunt tibi iudicĳ ueritatem: & illi qui uenirent ad iudicem, uenirent nõ tanquam hi qui iudicium petunt, ſed tanquã iudices ſententiæ ipſius iudicis: quo quid poteſt dici abſurdius? Habent igitur uerba illa, Et docuerint te iuxta Legem

Error Nicolai Lyrani.

eius,

eius, hanc emphaſim: Facies q̊dcunq; dixerint & docuerint te, eò quod id facturi ſunt iuxta legem eius. Hæc eſt genuina eorum ſententia. Cuius prudẽtiæ & æquitatis, non dico iã diuinę, uerùm etiam humanæ hoc eſſet, mittere aliquem cum ſua difficili & perplexa quæſtione ad iudicem aliquem, addita graui comminatione, niſi eius iudicis iudicio paruerit: & tamen addat hanc cõditionem, ſi iudicauerit ſecundũ legẽ: Si hoc dijudicare poſſent litigantes, iam nõ eſſet opus quęrere iudices. Nam præceptũ Domini habet, ut in difficili & ambiguo iudicio ad huius ſacerdotis Tribunal aſcendant: eò ꝙ hic ibi ſedeat conſtitutus diuinit⁹, ut ſit Legis diuinę interpres: neq; ab hui⁹ iudicio
ſit

ſit appellatio:ideò dicit:Et facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco. Sed iã reuertamur ad quæſtionem noſtram, quare generis humani redẽptor Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cùm innocentiſſimus pro nobis nocentibus eſſet moriturus,à talibus iudicibus, in tanta authoritate maieſtateq; ab ipſo Deo conſtitutis, uoluerit adiudicari morti? Profectò uiri præſtantiſſimi, & chariſſimi in Chriſto fratres, non eſt hoc ſine ardua cauſa, magnoq; & ſtupẽdo conſilio diuinę ſapientiæ factum. Cuius cõſilia tametſi nobis ſunt inſcrutabilia, tamen non eſt inutile nobis, neq; Deo ingratũ, pio & modeſto animo rem conſyderare,ſi quid fortè ſalutaris doctrinæ inde queamus percipere.Diſcimus

mus autem ex hoc iudicio multa, eadem'que maximi momenti ad hoc, ut qs efficiatur uerè, & quó-ad fieri poteſt, perfectè Chriſtia-nus. Principiò, ut exemplo Do-mini noſtri Ieſu Chriſti, ad quod imitandum Petrus nos exhorta tur, ſubmittamus nos illis, qui or dinatione diuina ſedent in Cathe dra: quantumuis etiam hi ſint in-iuſti. Neq; enim hominibus hac ratione obedimus, ſed Deo. De-inde, quòd nulla iniuſtitia homi-num poteſt eſſe tanta, quæ iuſti-tiam Dei in regimine ciuitatis ſuæ, quæ eſt Eccleſia, labefactet. Tametſi enim Pontifices illi, qui Chriſtum adiudicarunt morti, iu-dices erant omnium iniuſtiſſimi, impingentes illi atrocia & falſiſſi ma crimina, quòd ſeduceret po-

pulum,

pulum, quòd uetuerit cenſum da re Cæſari, quòd blaſphemauerit, &c. Deus tamen conſilio ſuo diuino conuertit illorum iniuſtitiam in occaſionem gloriæ iuſtitiæ ſuę, exitum iudicij deducens ad ſalutem generis humani: & ueram declarans promiſſionem ſuā, qua dixit: qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem. Quá nam ratione id fieri poteſt, quærat aliquis, ut in iudicio tam iniuſto poſſit conſiſtere iudicij ueritas? Attendite quæſo uiri ac fratres, & uidebitis mirabilia ſapientiæ & iuſtitiæ Dei, etiam impietate illorum qui in Cathedris ſedent abutentis ad declarandum iuſtitiam, ueritatem, & miſericordiam ſuam erga genus humanum. Poſſumúsne in illo tam iniuſto iudicio, quantum ad malitiam

litiam iudicum attinet, inuenire ueritatem iudicij, quantũ ad promiſſionem & Legem Dei? Poſſumus utiq;, idq; irrefutabilibus argumentis demõſtrare. Principio expendamus illud, quod apud Ioannem Cap. 11. legimus: Collegerunt ergo, inquit, Pontifices & Phariſei concilium, & dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eũ: & uenient Romani, & tollent noſtrum locũ, & gentem. Vnus autẽ ex ipſis, Caiaphas nomine, cùm eſſet Põtifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quicquã, nec cogitatis, quia expedit uobis, ut unus moriatur homo pro populo, & nõ tota gens pereat. Ecce iudiciũ ſummi Põtificis, etiã iniuſtiſſimi,

& impij & non intelligentis quid diceret. Quid autem de hoc ipſe Euangeliſta? Hoc autem à ſemet-ipſo non dixit, inquit, ſed cũ eſſet Pontifex anni illius, prophetauit quod Ieſus moriturus eſſet pro gente: & non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erãt diſperſi, congregaret in unum. Audiſtis Euangeliſtam Ioannẽ de hoc Iu-dicio uiri, fratresq́;, iam adhibete huc illud ex Deuteronomio, & ui-dete num uera ſit promiſſio Dei, & rectè impleta, qua dixit? Qui iu dicabunt tibi iudicij ueritatem. Non impius ille Põtifex erat au thor eius ſententiæ, qui ne intel-lexit quidem uim eius, ſed ſpiri-tus propheticus, ipſo Euangeliſta teſte, ſpiritus ſanctus, ſpiritus ue-ritatis; cui impingere mendax &

iniuſtum

iniuſtum iudicium, fuerit blaſphe
mia inexpiabilis. Quin etiam in
ipſius Pontificis domo, ubi Scri-
bæ & Seniores conuenerant, ut iu
dicium haberet legitimi confeſ-
ſus faciē: & ut aſſeſſores ſuos Pon
tifex rogaret ſententiam dicens,
Quid uobis uidetur? Qui reſpon-
derunt, Reus eſt mortis: quis nõ
uidet, quàm iniuſtum fuerit iudi-
cium, quàm falſa ſententia, quan-
tum ad Pontificem, & huius Se-
natum attinet? Nam hi ex odio,
liuore, falſis teſtibus, mendacibus
criminibus procedebãt. Quãtum
uerò ad iuſtitiam Dei patris, & uo
luntatem unigeniti Filij eius, iu-
ſta erat ſentẽtia, & iudicij ueritas.
Qua ratione hoc? Quomodo hoc
poſſibile eſt? Demonſtrabo clariſ
ſimè. Dixerat Dominus ad Adã:

Ex omni ligno Paradiſi comede:
de ligno autem ſcientiæ boni &
mali ne comedas. In quacũq; em̃
die comederis ex eo, morte mori
eris. Adam cõtra pręceptũ come
dit: ſe unà cum omni poſteritate
ſua, hoc eſt, genere humano, in
mortem induxit: idq́; iuſtiſſimo
iudicio Dei, nos oẽs faciens reos
mortis. Ab hac morte ſeu mortis
huius reatu, ut nos liberaret Fili-
us, obtulit ſemetipſum, ut more-
retur innocens pro nobis nocẽti
bus: & quod nos debebamus, ipſe
pro nobis dependeret: atq; hac
ratione ſemetipſum fecit tanquã
reum mortis, nequaquã ullo ſuo
peccato (hoc enim falſiſſimè ipſi
iudices illi impegerunt: & hac ra-
tione iniuſtiſſimum fuit illorum
iudiciũ) ſed incõprehenſibili pie-
tate

tate et charitate erga nos miſeros uolens innocens depẽdere, quod nos nocẽtes debebamus: atq; hac ratione ſe Deo patri aſtrinxit, & Deus pater iuſtè has pœnas ab eo exegit, poſtq̃ ultrò ſeſe aſtrinxit, haud ſecùs quàm ſi quis noſtrûm pro alio promittat alicui ſe penſu rum quod ille alius debeat, iuſtiſſi mè factur⁹ ſit ille, cui facta eſt ob ligatio illa pro alio, ſi id ad quod ille qui ſe obligauit ultrò, ipſe ex pacto exigat. Neq; eius qui ſe ob ligauit eſt præſcribere illi, cui fa- cta eſt obligatio, per quos debeat hoc debitũ exigere. In illius qui obligationem recepit, poteſtate eſt conſtituere ad hanc exactio- nẽ eos quos ipſe uult. Deus pater, pro ſua diuina & immutabili iuſti tia uoluit ab unigenito Filio ſuo

pœnas exigere, quas cùm nos de-beremus, ipſe unigenitus Filius in ſe receperat pendendas. Has pœnas uoluit per legitimam po-teſtatem, à ſe ordinariè inſtitutã exigere. Ad hanc exactionem iu-dicauit magis idoneos inclemen-tes illos, quã alios. Quis enim cle-mens, mitis, ac pius non exhor-reſcat ita tractare filium Dei? pec-cata hîc erant punienda, nõ qui-dem ipſius filij Dei, qui nullum fe-cerat peccatum, ſed noſtra in filio Dei, qui hæc in ſe expianda rece-perat. Non'ne uerè ſcriptum eſt in libro Iob, capite 34. Qui regna-re facit hominem hypocritam propter peccata populi. Quin etiã uiros bonos, in eminentia cõ-ſtitutos, ſinit, in peccata prolabi Deus, ut ex horum peccatis occa-

ſionem

ſionem accipiat flagellandi popu
lum propter peccata ſua. Exem-
plo eſt ſanctus ille Rex & Pro-
pheta Dauid: de quo ita ſcriptum
eſt 2. Reg. ultimo capite. Et addi-
dit furor Domini iraſci contra Iſ-
raël: commouitq; Dauid in eis, di
centem ad Ioab: uade numera Iſ
raël & Iudã. In hoc grauiter pec-
cauit Dauid: ſed Domino hoc per
mittente propter peccata populi.
Sed reuertamur ad iudiciũ Pon-
tificum de Chriſto, & uideamus
illud quoq;: Cùm Pilatus uociſe
rantibus, ut crucifigeret eum, re-
ſponderet: Accipite eũ uos & cru
cifigete: ego enim non inuenio in
eo cauſam: illi uiciſſim reſponde-
runt: Nos legem habemus, & ſe-
cundùm legem debet mori: quia
filium Dei ſe fecit. Hæc cùm illi

animis planè impijs dicerent, ueritas iudicij nihilominus ratione Legis diuinæ admirãda quadam, adeóq; ſtupenda prouidentia diſpenſationéq; Dei in his omnibus eſt conſeruata. Nam in hoc ipſo iam conſummata eſt Lex, quod Chriſt⁹ in ſua humanitate pœnas illas omnes, quas nos, uti tranſgreſſores Legis, ipſi Legi, atq; eius authori debebamus, dependit: & quod in ſacrificijs Legis hæc ipſa mors Chriſti multis modis erat præfigurata. Cùm itaq; adiuratus à Pontifice ut diceret eis, an ipſe eſſet Chriſtus Filius Dei, confiteretur ſe hũc ipſum eſſe, nónne ſatis confirmauit ſe ſecundùm Legem debere mori? Vnde apud Lucam ad illos duos, quibus ſe comitem adiunxit euntibus in Emaus, ita loqui-

loquitur: O ſtulti & tardi corde ad credēdum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetę: Nônne hęc oportuit pati Chriſtum: & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de illo erant. Videtis uiri ac fratres, uerum eſſe q̊d dixerunt: Nos Legem habemus: & ſecundùm Legem debet mori? uidetis, inquam, quàm mirabiliter Deus iuſtitiam & ueritatem ſuam illibatam conſeruet in iudicĳs illorum, quos ipſe in Cathedris ad iudicandum conſtituit: quantumuis ipſi longè à iuſtitia recedant? Quod dum faciunt, ipſi quidem iniuſtitiæ ſuæ pœnas dabunt: Deus autem interea

conſeruabit eos, qui ſecūdùm or-
dinationem & mandatum ipſius
ſubmittunt ſe illis, nō ſolùm pro
pter iram, ſed etiam propter con-
ſcientiam, iuxta uerbum Apoſto
li Roman. 13. Adeóne quis deſi-
pit, ut ideò putet Deum abieciſſe
curam & regimen Eccleſiæ ſuæ,
quòd ſæpè fit, ut hi qui præſunt,
ſint homines mali? An horū ma-
litia, horū iniuſtitia impedimen-
to erit Deo, quò minus iuſtè & re
ctè populum ſuum gubernet, eti-
am per illos ipſos, qui non Dei,
ſed ſua ipſorum culpa mali ſunt,
& iniuſti? Memorabile eſt uerbū
Apoſtoli in eadem epiſt. ca. 3. Eſt
aūt Deus uerax, inquit, omnis aūt
homo mendax, ſicut ſcriptū eſt,
Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis,
& uincas cùm iudicaris. Hæc quā
potui

potui luculenter diſſerui de Poli-
tia ciuitatis Dei, quæ erat à Moy
ſe uſq; ad Chriſtum. Nūc ad eam
quā inſtituit Chriſtus ipſe, ut du- *Politia ciuitatis Dei, à Chriſto inſtituta.*
raret uſq; ad conſummationem
ſeculi: Principio elegit duodecim
Apoſtolos, eoſdemq́; erudiuit at-
que formauit, ut eſſent ueluti Se
natores quidam ſuæ Reip. quæ
eſt Eccleſia. Ita formatos, quum
ipſe, peractis omnibus propter
quæ fuerat miſſus à Patre, iam re
diturus eſſet ad Patrem, ſuę Rei
pub. præfecit, eandē illis dans po-
teſtatem authoritatemq́; regen-
di, quam ipſe acceperat à Patre,
dicēs: Pax uobis: Sicut miſit me *Ioan. 20.*
Pater, & ego mitto uos. Hęc cùm
dixiſſet inſufflauit, & dicit eis: Ac
cipite Spiritum ſanctū: Quorum
remiſeritis peccata, remittuntur

 eis:

Petrus ne ſibi placeret tanquam delicatam adeptus prouinciam, continuò ſubiecit Dominus: Amen, amen dico tibi, cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas ubi uolebas. Quum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu nõ uis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et iuſſit ut ſequeretur ſe. Vidimus itaq; iam apud Matthæum, Petrum deſignari tanquàm Conſulem ciuitatis Dei. Vidim⁹ apud Ioannem magiſtratui ſuo inaugurari. Placet'ne iam uidere, quomodo geſſerit magiſtratũ? Hoc certè lõgum fuerit perſequi: neq; admodum ad id quod nunc agimus neceſſarium. Hic enim propoſitum eſt demõſtrare ordinem

poli-

politicum, quem Chriſtus Rex noſter in ſua ciuitate, quæ eſt Ecclesia, inſtituit: non quomodo quiſq; ſe in ſuo magiſtratu geſſerit. Vt autem uideamus, quam alacriter Petrus aggreſſus ſit ſui Conſulatus (ſic enim nunc appellare placet, ne recedamus à ſimilitudine ciuitatis) functionem, adferamus pauca quædã ex his, quæ Lucas in Actis Apoſtolorũ ab eo geſta ſcribit Cap. 1. &c. Cùm eſſet turba hominum ferè centum uiginti, Petrus tanquã Conſul eius ciuitatis, conuocato Senatu Apoſtolorum populoq;, exurgens in medio fratrum, incipit agere de eligendo nouo Senatore, hoc eſt, Apoſtolo, in locum Iudæ, qui perierat. Attendamus quæſo, & uideamus, quanta cum authoritate Act. 1.

ac

ac maieſtate, & quã præclaro ſucceſſu rem illam peragat. Viri fratres, inquit, oportet impleri Scripturam, quàm prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum: qui cõnumeratus erat in nobis: & ſortitus eſt ſortẽ miniſterij huius. Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius: & diffuſa ſunt omnia uiſcera eius, &c. Quam orationem tandem cõcludit his uerbis: Oportet ergo ex his uiris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tẽpore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à Baptiſmate Ioannis, uſq; in diem, qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri

unum ex iſtis. Hæc cùm Petrus pro officio maieſtateq́; ſui magiſtratus peroraſſet, cæteri Apoſtoli & multitudo uniuerſa, tãquàm Senatus populusq́; in Republ: optimè conſtituta Conſuli ſuo obtemperans, ſtatuerunt duos, Ioſeph qui uocatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum miniſterĳ huius & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eius, & cecidit ſors ſuper Mathiam: & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Ecce hoc eſt initium eorum, quæ ſtatim poſt adſcenſionem Domi-

Domini, Petrus tanquàm Conſul ciuitatis Dei, geſſit in ſuo Conſulatu. Quid uidetur, uiri doctiſſimi & chariſſimi fratres? Non'ne egregium documentum egregij Conſulis? Cæteros Apoſtolos Chriſtus ipſe adhuc præſens in carne elegerat, hunc Petrus, tanquàm uicarius Chriſti in ciuitate eius eligit, per cæterorum ſuffragia, per publicas Eccleſiæ preces, miſſione ſortis oſtendēs, id quod ipſe cum Senatu illo populoq́; gerit, non alijs auſpicijs ſe gerere, quàm regis ſui Domini Ieſu Chriſti: qui ipſum gubernatorem eius Reip. conſtituerat. hoc primum. Videamus proximum: quod capite ſequente ſcribit Lucas. In die Pentecoſtes, cùm omnes obſtupeſcerent ad miracula, quæ fiebāt
per

per immiſſionem Spiritus ſancti, aliĳs admirãtibus, quorſum ea res eſſet euaſura: aliĳs calumniantibus quæ fiebant, ac dicentibus muſto plenos eſſe eos, qui Spiritum illũ hauſerãt: Petrus tanquàm Conſul ciuitatis, ſtans cum cæteris undecim tanquàm Senatoribus, ipſe tãquàm os totius Senatus extulit uocem ſuam nomine omnium, dicens: Viri Iudæi & qui habitatis Ieruſalem uniuerſi, hoc uobis notum ſit, & auribus percipite uerba mea: Non enim ſicut uos æſtimatis, hi ebrĳ ſunt, cùm ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioël, &c. Quæ cũ multis uerbis grauiſſimè diſſerendo explicuiſſet, tandem orationẽ concluſit his uerbis: Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia

& Dominum eum & Chriſtum fe
cit Deus hunc Ieſum, quē uos cru
cifixiſtis. Qua una concione circi-
ter tria millia hominum regi ſuo
Ieſu Chriſto lucrifecit. Nōne hoc
facinus egregij Conſulis in ciuita
te Dei? Cap. 3. cùm comitatus Io
anne aſcenderet in templum ad
precandum, & claudus rogaret e-
leemoſynam, Petrus alloquitur
eum: Petrus apprehēſa dextra eri
git eum: Petrus deniq; conciona-
tur, & populo id quod factū erat
interpretàns, tantam turbā lucri-
facit, ut fiat numerus credentium
quinque millia. Ecquid potuit
præclariùs geri à Conſule ciuita-
tis Dei? Atque his quidem decla-
rauit fidem ſuam & induſtriam in
confirmando amplificādoq; Rē-
pub. ſibi concreditam. Videamus
etiam

etiam ſpecimen ſeueritatis ac diſci
plinæ,quam in transgreſſores Le-
gum exercere debēt Rerump. gu
bernatores. Cùm maxima pars
credentium, nemine quidem co-
gente,ſed ultrò, uenderet poſſeſſi
ones ſuas, & precia poneret ante
pedes Apoſtolorum, indigētibus Actor. 5.
diſtribuenda, Ananias quidā cum
Sapphira uxore ſua fraudem fece
runt, partem agri diuenditi ſibi ſe
cretò reſeruantes. Quid ad hęc ciui
tatis Dei Conſul Petrus? Anania,
inqt, cur Satanas tētauit cor tuū,
mētiri te Spiritui ſancto, & frau-
dare de precio agri? Nōne manēs
tibi manebat, & uenundatū in tua
erat poteſtate? Quare poſuiſti in
corde tuo hāc rē? Non es mētitus
hominibus, ſed Deo. Ecce, ſeuero
ac rigido Conſule digna in peccā-

tem ciuem increpatio. Neque ue-
rò hæc fuit inanis, ut unà cum ip-
ſo uerbo euaneſceret: ſed è ueſti-
giò conſecuta eſt pœna tranſgreſ-
ſoris. Ananias enim his auditis, ili
cò concidens expirauit. Idem pau
lò pòſt accidit uxori eius Sapphi-
ræ. His rationibus ita creuit am-
plitudo potentiæ, & gloria huius
Reipub. ut etiam in plateas eijce
rent infirmos, & ponerent in le-
ctulis ac grabatis, ut ueniente Pe-
tro ſaltem umbra illius obumbra
ret quenquam illorum: & libera-
rentur ab infirmitatibus ſuis. Ita
multitudine ciuium creſcente, ac-
cidit q̃d in huiuſmodi fieri ſolet, ut
non deeſſent, qui ſua ſorte parum
contenti aduerſus alios murmura
rent. Nam qui ex Græcis credide
rant murmurauerũt aduerſus He
bræos,

bræos, eò quòd deſpicerētur in miniſterio quotidiano uiduæ eorū. Huic malo ut occurrant, ecce conuenit uniuerſus Apoſtolorum Senatus: & aduocata multitudine, nouum creant magiſtratum, qui antè non fuerat, nempè ſeptē Diaconos, qui menſis miniſtrarent. Hîc illud obiter obſeruādum eſt, uiri doctiſſimi, & fratres in Chriſto chariſſimi, an non habeat Eccleſia poteſtatem condendi pro ratione temporum aliquid noui, q̊d non acceperit à Chriſto: quales ſunt Leges ac Diſciplina morum, cùm hic nihil dubitent Apoſtoli etiam magiſtratum nouum creare? Eſt enim Diaconatus inferior quidam magiſtratus in Eccleſia, hoc eſt, ciuitate Dei, Ordinem Eccleſiaſtico loquēdi more dicimus:

Exemplū poteſtatis Eccleſiaſticæ.

 unde

unde per publicas preces,& manuum impoſitiõem datur. Imò uerò quicquid huiuſmodi rerum fit in Eccleſia, ipſo Chriſto authore fit per Spiritum ſanctum. Per quem multò maxima pars eorum, quæ habemus in Eccleſia, eſt ordinata poſt aſcenſionem Chriſti: idq; per Apoſtolos, & horum ſucceſſores Epiſcopos, quos neceſſarium eſt ſemper pro ratione temporum, nouis exurgentibus malis noua inuenire remedia. Ad quod antequàm ab ipſis diſcederet, promiſit ſe illis miſſurum Spiritum ſanctũ, Spiritum ueritatis, qui doceret eos omnia. Neq; hunc ad præfinitum aliquod tempus, putà quàm diu uiuerent Apoſtoli: ſed ut maneat nobiſcum ſemper. In hoc Spiritu promiſit ſe nobiſcum mã-

ſurum

ſurum uſq; ad conſummationem ſeculi. Hinc eſt quod Apoſtolus Paulus ad Epheſios ſcribens, omnia Chriſto authori tribuit, non ſolùm ea, quæ ipſe præſens in carne inſtituit in Eccleſia, uerùm etiam quæ poſt aſcenſionem ſuam in cœlum, per Spiritũ ſanctum. Aſcendẽs in altum, inquit, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et poſt pauca: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: alios uerò Euangeliſtas: alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis

Chriſti. His & multis alijs in eodē capite docet, unicuiq; noſtrum in Eccleſia ſuum officiū eſſe datum à Chriſto, haud ſecùs quàm unicuique membro in corpore humano ſuum. Et quemadmodum in corpore humano membrum unum neq; inuidet, neque eripit alteri officium ſuum, putà, ut oculi uelint audire, aures autē uidere, manus odorari: ſed ſumma inter ipſa eſt cōcordia, ita hortatur & obſecrat nos, ut quiſque noſtrum in Eccleſia, ſua ſorte contentus, hoc agat, quod ipſi iniunctum eſt: neque alium in ſuo officio turbet. Obſecro itaq; uos, inquit, ego uinctus in Domino, ut dignæ ambuletis uocatione qua uocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patiētia, ſupportantes in-

uicem

uicem in charitate,ſoliciti ſeruare unitatem ſpiritus, in uinculo pacis: unũ corpus, & unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una Spe uocationis ueſtræ. Ad eundem modũ ad Romanos capite 12. ſcribens obſecrat: ubi inter cętera hęc ſunt eius uerba: Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eũdem actum habent: ita multi unũ corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra, habentes donationes, ſecũdùm gratiam quę data eſt nobis, differentes, &c. Videtis uiri ac fratres, quãtam curam geſſerit ſanctus ille Apoſtolus Paulus pro conſeruanda publica pace & concordia in Eccleſia Dei? Atqui hæc nulla ratione alia retineri & cõſeruari poteſt, quàm

ut unuſquiſq; noſtrum, cuiuſcun-que ſtatus & conditionis ſit, in ſeſe deſcendat, ſeipſum noſcat, menſuram ſuæ uocationis officijq; expendat: atq; intra huius fines ſeſe contineat, haud ſecùs atque membrũ unumquodq; in corpore noſtro intra ſui officij fines ſe continet. Porrò quemadmodum Domino noſtro Ieſu Chriſto nihil eſt charius, neq; in cœlo neq; in terra, quàm ſpõſa ſua Eccleſia; pro qua

Ephes. 5.

ſeipſum tradidit, ut eam ſanctificaret, mundãs eam lauacro aquæ in uerbo uitę: hęc autem nulla re alia grauiùs lædi conturbariq; poteſt, quàm inteſtinis diſſidijs: quæ ſemper inde naſcũtur, quòd homines elati ſuperbia, nolunt ſe continere intra fines ſuos, ut unuſquiſque agat quod ſibi iniunctum eſt, neq; arripiat

piat aliena: ita nullo peccato gra-
uiùs offenditur De⁹, quàm ſi quis
eam Politiam, quam ipſe in ſua ci
uitate, quæ eſt Eccleſia, erexit &
inſtituit, perturbet. Hoc cùm ex
aliis quàm plurimis ſacræ Scriptu
ræ locis, tum uerò ex illis duobus,
quos ſuprà adduximus, putà præ
cepto, quod extat Deuterono. 17.
Qui autem ſuperbierit, nolēs ob-
edire, & cæt. & exemplo quod eſt
Numerorum 16. de Coreh, Da-
than, Abiron, & cætera, mani-
feſtiſſimum eſt. Quin etiam ipſa
ratio, imò uſus ipſe & experien-
tia docent, Reſpublicas nulla ra-
tione alia ſpecioſiùs florere, & fe-
liciùs creſcere, quàm mutua in-
ter Magiſtratus ac ciues pace &
concordia: contrà uerò, nulla re
alia citiùs corruere, quàm horum
diſcor-

diſcordia. Vnde rectè faciũt Prin-
cipes, quãdo grauiſſimè animad-
uertunt in eos, qui in ciuitatibus
magiſtratui rebelles, populos ad
ſeditiones commouent. In hoc
imitantur Deum ipſum, punien-
tem Coreh, Dathan, & Abiron.
Quod ſi quis fortè magiſtratus ini-
quior ſit in aliquem ciuem: aut eti-
am in totum populum, non ta-
men propterea cuiquam conceſ-
ſum eſt, in ipſum magiſtratum in-
ſurgere, populum ad ſeditionem
conuocare, ſibi ſumere poteſtatẽ
deturbãdi de ſua ſede illum quem
conſtituit Rex aut Princeps, Do-
minus uidelicet ciuitatis. Si quid
iuſtæ querelæ eſt, ad Principem,
ciuitatis Dominum referendum
eſt, ut is magiſtratum iniquum ad
æquitatem redigat: aut in malitia
perti

pertinaci mittat ſucceſſorem iu-
ſtum. Ita ſe planè habet in Rep.
Chriſtiana, ſi quando Pontifices,
Epiſcopi, cæteriq; quibus cura hu
ius Reipub. eſt commendata, in-
cipiant eſſe tyranni, aut alioqui
negligentes officij, non eſt nobis
imitādus Martinus Lutherus, ut
nos, commoto terrarū orbe, tur-
bemus omnia, atque illis reiectis
nos cathedras aſcendamus, nos re
gimē ipſi arripiamus, & conſtitua-
mus nos ipſos rectores Eccleſię dei:
ſed cū timore atq; tremore confu
giendū eſt ad ipſum ciuitatis Prin
cipem, hoc eſt, Dominum Deum,
& orandum pro Paſtoribus pari-
ter & grege, eò quòd huius pecca-
tis ſæpè fiat, ut illi ſint mali: peten
dum ut ipſe per Spiritum ſuum
bonum, utranque partem erudiat
atq;

atque emendet: & in ciuitate ſua pacem ſartam tectam conſeruet. Abſit autē, ut impingamus Deo uel tantam oſcitātiam, ut hęc negligat, uel tantam inclemētiam, ut tam iuſta petentes à ſe repellat. Nam apud Lucam quid minatur Petro, ſi alius eſſe incipiat in ſuo Pontificatu quàm debeat? Quod

Luc. 12.

ſi dixerit, inquit, ſeruus ille in corde ſuo: Morā facit Dominus meus uenire: & cœperit percutere ſeruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: ueniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. Ecce, non dicit, poteſtas erit cæteris ſeruis & ancillis, inſurgendi in illum ſeruum tam malè regentem domum abſente Domino,

mino,& illum deturbandi, ſe'que in loco eius conſtituendi. Sed, Do minus ipſe ueniet, & cætera. Vnde & Paulus tam grauiter uetat, ne quis ſibi iudicium in alienum ſer-uum ſumat. Suo enim domino ſtat, & cadit. Id quod cùm Pau-lus dicat de iudicio, quod fit inter æquales: quantò grauius pecca-tum eſt, nos qui ſub eminentiori-bus poteſtatibus ſumus conſtitu-ti, ſumere nobis iudicium in eos, qui ratione ordinis ac loci ſunt Iu dices noſtri? Omnia toleranda ſunt potiùs, quàm turbandus ordo ille politicus ciuitatis Dei, quem Deus ipſe cùm tanta po-teſtate in ea inſtituit. Nam cùm hoſtis huius ciuitatis, Diabolus mille ſit artibus inſtructus ad op-pugnandum hanc ipſam Ciui-

Rom. 14.

tatem,

tatem, & ab initio mundi fuerint ſemper, ſint, & futuri ſint uſque ad cõſummationem eiuſdem, homines mali & impij etiam in omnibus ordinibus ac ſtatibus, horum malitia ipſe peſſimus abutitur ad eam oppugnationẽ: ut olim ethnicis illis tyrannis: & noſtra ætate ſæuiſſimo illo tyranno Turca: alijsque impijs quàm plurimis: per nullos tamen unquàm grauiùs eã concuſſit, quàm per Pſeudoprophetas hæreticos. Nam hi proditionibus rem gerunt, dum ſe uerbis Scripturæ diuinæ tegẽtes, pro ciuibus aut præſidiarijs militibus ſeſe inſinuant: atq; interea per falſas eiuſdem Scripturæ interpretationes, publicam inter magiſtratus ac ciues concordiam, qui omnium firmiſſimus eſt ciuitatis murus,

rus,perfodientes, hoſtem in mediam ciuitatem introducunt. Vnde (ut etiam ſuprà dixi)tam grauiter monuit Dominus ſuos, ut ab illis ſibi caueant. Attendite, inquit, à falſis Prophetis,qui ueniũt ad uos in ueſtimentis, &c. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Sed multi tam fatuum habent palatum, ut ſe peſtiferis illis fructibus repleant, priuſquàm ſaporem eorum percipiant. His opus eſt ſigno aliquo manifeſtiore, quo cognoſcãt eos, priuſquàm de fructibus guſtẽt. Diximus ſuprà certiſſimum ſignum eſſe Pſeudoprophetę prouocare à totius Eccleſię iudicio ad Scripturam ſacram. Quicunque enim hoc faciunt,in animo habent noui aliquid dogmatis introducere, quod prætextu Scripturarum

adulterata harum interpretationē uelantes & conmēdantes, nouam hæreſim excitent. Huic proxi-mum eſt, ſi non prius etiam, ſi in-cipiant conuellere authoritatem & gratiam Conſulis ciuitatis Dei, & aduerſus hunc incitare popu-lum ac plebem: hoc eſt, quemad-modum lupus ille in Apologo no ſtro agnum ab hirco, ſic abducere populum ab ea, quam ſummo Ec cleſiæ Paſtori, & cæteris ſub hoc per Ordinem conſtitutis debet, obediētia. Nam hinc ſemper pro ditionum ſuarum machinationes incipiunt. Neque uerò hoc meum eſt ſomnium aut figmentum, uiri doctiſſimi, chariſſimíque fratres. Optimè intellexit hoc, & clariſſi-mis uerbis docuit eximius ille Ec-cleſiæ Doctor, laudatiſſimus Epi

ſcopus, & inuictiſſimus Martyr Chriſti Diuus Cyprian⁹ cùm aliꝭs locis, tum uerò in Tractatu ter- tio, qui inſcribitur, De ſimplicita- te Prælatorū, & in epiſtola tertia, Libri primi, quę eſt ad Cornelium Papam. In epiſtola hæc ſunt eius uerba; Neque enim aliundè hęre- ſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sa- cerdòti Dei non obtemperatur: nec unus in Eccleſia ad tēpus Sa- cerdos, & ad tempus Iudex uice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas uniuerſa, nemo aduer ſum Sacerdotum collegium quic- quam moueret: nemo poſt diui- num iudicium, poſt populi ſuffra- gium, poſt Epiſcoporum conſen- ſum, iudicem ſe nō iam Epiſcopi,

 ſed

ſed Dei faceret. Nemo diſſidio u-
nitatis Chriſti Eccleſiam ſcinde-
ret: nemo ſibi placens ac tumens,
ſeorſum foris nouam hæreſim cõ
deret. Niſi ſi ita eſt aliquis ſacrile-
gæ temeritatis, ac perditæ mentis,
ut putet ſine Dei iudicio fieri Sa-
cerdotem, cùm Dominus in Euan
gelio ſuo dicat: Nónne duo paſſe-
res aſſe uæniunt, & neuter eorũ ca
dit in terrã ſine Patris ueſtri uolũ-
tate? Cùm ille nec minima fieri ſi-
ne uoluntate Dei dicat, exiſtimat
aliquis ſumma & magna, aut non
ſciente, aut non permittẽte Deo
in Eccleſia Dei fieri, & Sacerdo-
tes, id eſt, diſpẽſatores eius, nõ de
eius ſententia ordinari? Hoc eſt, fi
dem nõ habere qua uiuimus: hoc
eſt, Deo honorem non dare, cuius
nutu & arbitrio regi & gubernari
om-

omnia ſcimus, & credimus. Ecce, uiri ac fratres, hæc ſunt uerba illi⁹ tanti Epiſcopi, Doctoris, & Martyris, per omnia uerbo Dei, & rationibus irrefutabilibus ſubnixa: quibus quid unquàm potuit aut clariùs, aut ueriùs de hac re dici aut ſcribi? Quamobrem, quòd omnia illa Comitia Imperialia, omnes illi conuentus, omnes illę conſultationes, reformatiões, & quicquid eius generis eſt, per hoſce quadraginta iam annos, cum tantis laboribus & impenſis facta, ad componendam pacem & concordiam in Religione irrita fuerunt: & exorta diſſidia indies latius latiusq; ſerpſerunt, maius incrementum, & uires maiores acceperunt: damnatum inenarrabilia, tum irrecuperabilia dederũt: horum, inquam,

malorum omnium illa fuit haud dubiè ſumma, primaria, ac penè ſola cauſa, quod uel Martinus Lutherus ipſe, uel alij ab hoc decepti atque ſeducti, ſuis nimium perniciosis conſilijs impediuerunt, quo minus pacificatio illa ſumeret initium & progreſſum ſuum ab illa Politia, quam Deus ipſe in ſua ciuitate Eccleſia ordinauit atq; conſtituit: neq; adhibiti ſint in conſilia illi: aut non recepta illorum cōſilia, qui ratione illius Politiæ & ordinationis diuinæ ſemper debēt iſtiuſmodi conſultationibus præſidere: atque de omnibus omnium conſilijs cognoſcere. Neque eſt (ſi quid ego ratione conſequi poſſum) quod ullam ſperemus pacem, aut ullum horum tam atrocium malorum finem, priuſquàm

Reges & Principes, tã miſerè per illos decepti, rurſus per uiros bonos, orthodoxę Fidei, ac ſanæ doctrinæ, melioribus conſiliis reducantur ab illis tam pernicioſis erroribus in ſentẽtias rectas, ac diſcant humiliare ſe ſub potenti manu Dei, iuxta uerbũ Principis Apoſtolorũ Petri: nec in his quæ ad Religionẽ pertinent, reſiſtere illis, quos Deus ipſe Religioni præfecit, atq; in tanta eminentia conſtituit, ut daret claues regni Cœlorum: ut daret pedum Paſtorale ſuper omnes gentes. Diſcant, inquã, exẽplo Coreh & ſociorum eius, exemplo Saülis, exẽplo Ozæ, exemplo Oziæ, deniq; q̃ plurimis aliorum exemplis, non ſumere ſibi ea, quæ ſunt Epiſcoporum & Sacerdotũ, quantumuis hi uideãtur 1. Pet. 5.

in ſuis officijs negligentes: & quan tumuis præſens neceſſitas uidea tur officium poſtulare: id quod cer tè Säuli & Ozæ dedit occaſionem ruinæ. Diſcant nulla ratione com mittendum eſſe, ut turbetur or do politiæ in ciuitate Dei, utcun que ſe gerãt illi, qui magiſtratum in ea gerunt. Diſcãt credere, Chri ſtum multò tenerius amare ſpon ſam ſuam Eccleſiam, quàm ut pa tiatur eam peruenire in poteſtatẽ hoſtis. Diſcant exemplo Caiaphę atque totius illius Pontificum ac ſacerdotum cõcilij, qui Chriſtum condemnarunt ad mortem, quod Deus pro ſua inſcrutabili ſapien tia nouit non ſolùm uirtutibus, ue rùm etiam uitijs, peccatis, & ſcele ribus grauiſſimis illorum qui ſe dent in Cathedris, abuti ad glori
am

am ſuam,& utilitatē Eccleſiæ ſuę: quemadmodum illorum impieta te abuſus eſt ad perficiendum re- demptionem noſtri per myſteri- um crucis. Diſcamus denique om- nes exēplo populi Iſraelitici ſub Dauide, ita inſtituere uitam no- ſtram, ne Deus iratus peccatis no- ſtris non ſolùm permittat hypo- critas regnare ſuper nos, uerùm etiam eos, qui benè præſunt ſan- ctos, prolabi in peccata, ut ex ho- rum occaſione ſcelera noſtra puni at. Hæc doctrina ſi candidè recep- ta, atq; rectè intellecta fuerit, non erit difficilè uidere, qua ratione ſar cienda ſit concordia, recuperanda pax, & inſtauranda ea quæ hoſtis quaſſata tā crudeliter diſſipauit. Il le quidem exemplo lupi illius Ae- ſopici uirulēta obtrectatione hoc

egit,ut abduceret nos à Paſtorib⁹ noſtris,& acerbiſſimis odĳs in eoſdem inflammaret. Nos autem nõ ſumus imitati prudẽtiam agni,ut ſpreta doloſa obtrectatione lupi, cogitaremus, quàm grauiter nobis præceptum fuerit, ne ab horum cura, cuſtodia, ac latere nos pateremur abduci. Defecimus à Paſtoribus, offenſi fœtore famæ, quam de illis diſperſit lupus, offenſi plerorumq; manifeſtis peccatis, offenſi nonnullorum potentia nimia tãquàm cornibus hirci, offenſi opib⁹,ac diuitĳs ut pilis, & quicquid iſtiuſmodi eſt, quod Diabolus in calumniam, homines autẽ maleuoli in occaſionem odĳ atque inuidiȩ poſſunt arripere. Poſtquàm autem defecimus, facti ſumus præda,& in uarios errores ac

ſectas,

ſectas, atq; inenarrabilia mala di-
ſtracti, nuſquàm inuenimus, qui
nos poſſit recolligere, atq; in unū
ouile redigere. Hoc nimirum prę-
uidit ſanctus ille Abbas Diuus Ber
nardus, quādo in ſermone in Can
ticum canticorum 33. commemo-
rat quatuor illa tentationū gene-
ra in corpore Chriſti, id eſt, Eccle-
ſia, quę ait per Prophetam Dauid
indicata eſſe Pſal. 90. His uerbis:
Nō timebis à timore nocturno, à
ſagitta uolante in die, ab incurſu
& dæmonio meridiano. Prima tē
tatio fuit timor nocturn9, quādo
tyrāni in Eccleſiā naſcentē perſe-
cutionib9 ſæuiebāt, arbitrātes ſe in
hoc ipſo obſequiū pręſtare deo, q9
martyres interficerēt. Secūda, quā
do iā depulſis tenebris illi9 noctis,
hęretici Chriſtū profeſſi, ſed inflati
ſuper-

ſuperbiæ ſpiritu, noua dogmata aduerſus matrem ſuam Eccleſiam ſparſerunt: quę fuit ſagitta uolans in die. Sed hæc quoq; peſtis depulſa eſt per ſapientiam ſanctorum, ſicut prima per patientiam martyrum. Secundam itaque tentationem ſtatim ſecuta eſt tertia, ſignificata, Negocio perambulante in tenebris. Atq; hæc eſt illa, ex quâ lupus arripit occaſionem quartæ, ut agnos abducat ab hircis, quibus mandata eſt ipſorũ cuſtodia. Quǽnam eſt hæc tentatio? Eſt hypocriſis eorum, qui ſub titulo prętextú'q; Religionis ſuum negocium agunt, diuitias, & potentiam huius mundi aucupantur: de quibus hęc ſunt uerba Diui Bernardi: Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latiùs,

eò

eò deſperatiùs, eoq́; periculoſiùs, quò interiùs. Nam ſi inſurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & areſceret: ſi uiolentus inimicus, abſconderet ſe forſitan ab eo. Nunc uerò quem eijciet, aut à quo abſcondet ſe? Omnes amici; & omnes inimici: omnes neceſſarij, & omnes aduerſarij: omnes domeſtici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem nõ deferunt. Inde is quem quotidie uides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frenis, in ſellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ

ſę & cibis & cyphis:inde comeſſa-
tiones & ebrietates: inde citha-
ra, & lyra, & tibia:inde redundan
tia torcularia, & promptuaria ple-
na, eructantia ex hoc in illud. In-
de dolia pigmentaria, inde referta
marſupia. Pro huiuſmodi uolunt
eſſe, & ſunt Eccleſiarū Præpoſiti,
Decani, Archidiaconi, Epiſcopi,
Archiepiſcopi. Nec enim hęc me-
ritò cedunt, ſed negocio illi quod
perambulat in tenebris. Olim prę
Eſai.38. dictum eſt, & nunc tempus imple-
tionis aduenit. Ecce in pace amari
tudo mea amariſſima. Amara pri-
us in nece martyrū: amarior poſt
in conflictu hęreticorum: amariſ-
ſima nūc in moribus domeſtico-
Eſaiæ 1. rum. Non fugare, non fugere eos
poteſt: ita inualuerūt, & multipli-
cati ſunt ſuper numerum. Inteſti-
na &

na & inſanabilis eſt plaga Eccle-
ſię: & ideo in pace amaritudo eius
amariſſima. Sed in qua pace? Et
pax eſt, & nõ eſt pax, Pax à paga-
nis, & pax ab hęreticis: ſed nõ pro
fectò à filijs. Vox plangentis in tẽ
pore iſto: filios enutriui & exalta-
ui: ipſi aũt ſpreuerunt me. Spreue
runt & maculauerunt me à turpi
uita, à turpi quęſtu, à turpi cõmer
cio, à negocio denique perambu-
lante in tenebris. Hæc ibi Diuus
Bernardus de corruptis moribus
eorum qui præſunt Eccleſiæ, ne-
quaquã obtrectandi libidine: aut
quòd hac ratione uelit perſuadere
agnis, ut propter iſtiuſmodi fœto
rem recedant ab iſtis hircis, cum il
lis qualibuſcunq; etiã, tamẽ cuſto
dia agnorum cõmendata ſit à ma
tre; ſed ſub perſona matris, deplo-
rantis

rãtis quod illi quibus agnorum ſu orum, hoc eſt, filiorum cuſtodiam commendauit, non ſint puriores. Quid autem interea lupus? Is arripit hunc ipſum Bernardi locum, & quantacunq; cum exaggeratione poteſt proponit agnis: Phi, inqt, uos ſub talibus hircis paſcimini: Nondum olfacitis fœtorem illorum, ita commotum & exagitatum à uiro tanto, qui ipſe ſub eiſdẽ paſcens, tam grauiter eo eſt offenſus? Ne ſequamini igitur illos tã fœtidos hircos: ſed reuertimini ad matrẽ ueſtram candidiſſimam, placidiſſimã, uberéq; lacte dulciſſimo diſtẽto uos expectãtem. Iam quibus adeſt quidem illa columbina ſimplicitas, ſed non item ſerpẽtina prudentia, facilè audiunt uocem lupi: facilè deficiunt à talibus

hircis, & fiunt prędα lupo. Quibus autē unà cum ſimplicitate adeſt etiam prudentia, hi certè imitantur agnum illum Aeſopicum, conſultiùs meliusq́; eſſe iudicantes, tolerare fœtorē hircorum, quàm incidere in dentes luporum. Iam hoc ipſum clariſſimis uerbis ibidē docet ipſe Diuus Bernardus: ſed quæ lupus iſte pro ſua aſtutia à ſuperioribus abſcindit, quod ſciat his planè ſuas inſidias detegi, ſi quemadmodū ſuperiora illa recitata ſunt, recitētur. Sic enim pergit Bernardus, quartam tentationem Eccleſiæ explicans: Супereſt ut iā de medio fiat dęmoniū meridianū ad ſeducēdos, ſi qui in Chriſto reſidui ſunt, adhuc permanentes in ſimplicitate ſua. Siquidē abſorbuit fluuios ſapientiū, & torrē- Iob. 40.

tes potẽtium, & habet fiduciã ut Iordanis influat in os eius.i. ſim-plices & humiles qui ſunt in Ec-cleſia. Ipſe enim eſt Antichriſtus, q ſe nõ ſolùm diẽ, ſed & meridiẽ mentietur: & extolletur ſupra id quod dicitur, aut q̊d colitur De⁹: quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtra tione aduẽtus ſui, utpote uer⁹ & æternus meridies, ſpõſus & aduo catus Eccleſiæ, qui eſt ſuper om-nia Deus benedictus in ſecula, A-men. Ecce uidetis uiri doctiſſimi, & fratres in Chriſto Ieſu mihi cha riſſimi, q̃ dolo lupus ille rapaciſſi mus adduxerit uerba Diui Bern. ut his abduceret agnos à ſuis pa-ſtoribus: & q̃ claris uerbis ibidem Bernardus indicet ipſum lupum, Antichriſtum eſſe oſtendens: &

quòd

quòd diſſolutos illos paſtores ſu-
prà dixit miniſtros Antichriſti,
id eò pertinere, quòd in hoc ipſo
miniſtrent Antichriſto, quòd nõ
cuſtodiant oues ea fide, qua debe
bant: aut potius, quod ſuo fœto-
re dent agnis imperitioribus oc-
caſionẽ, ut à ſe ad lupos, hoc eſt,
Antichriſtum & huius Pſeudo-
prophetas & Pſeudapoſtolos de-
ficiant. Nos autem fratres chariſ
ſimi, toleremus potius fœtorem
hircorũ, qui propter ipſa cornua,
hoc eſt, potentiam quam à Deo
acceperunt, formidabiles ſunt lu-
po, quàm ab illis tranſeuntes ad
Antichriſtum, efficiamur præda
crudeliſſimis & ſanguinariis lu-
pis. Quandiu in huius mundi de-
ſerto ſiue ſylua paſcemur, inter
hircos & hędos nobis paſcendum

eſt, & horum fœtores nobis feren di. Neq; enim fugare eos, nec fu- gere poſſumus, ut ait Bernardus. Multò autem melius, hoc eſt, quàm incidere in lupos. Cùm au tem aduenerit dies Domini, ut ſe
Matth. 25 deat ſuper ſedẽ Maieſtatis suę, tũc congregabuntur ante eũ omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicẽ, ſicut paſtor ſegregat oues ab hæ- dis: & ſtatuet oues qdem à dextris ſuis, hędos aũt à ſiniſtris. Tùnc nõ erunt nobis ampliùs moleſti fœ- tores hircorũ. Illi tunc cũ ſuis hæ dis, hoc eſt, illis q mala illorum in uita exempla ſunt imitati, ſegre- gabũtur à nobis. Si q fuerunt fi- deles paſtores, (quales multi & fu erunt olim, & adhuc ſunt in Eccle ſia, & ſemper erunt; abſit enim ut omnes ſint hirci) quos conſtituit

Do-

Dominus ſuper familiam, ut dēt illis cibum in tempore, & cùm ue nerit, inuenerit eos ſic faciéntes, hos collaudatos conſtituet ſuper omnia bona ſua. Quibus aūt, quę horum uocē audiuerunt, & horū uirtutes ſunt imitatæ, dictur⁹ eſt, Venite benedicti Patris mei, poſ ſidete paratū uobis regnū à con- ſtitutione mundi. Hircis aūt cum ſuis hædis; Diſcedite à me male- dicti in ignem æternum.

Opinor, uiri ac fratres in Do- mino chariſſimi, me ſatis luculen ter explicuiſſe locum illum Diui Bernardi, quem nobis exprobrat lupus, ut ab illis, quorū cuſtodiæ commēdati ſumus, nos abducat, atq; ſibi ad dilaniandum deuoran dumq; faciat prædā: & quàm do- loſè abſciderit illa uerba eiuſdem

Diui Bernardi eodem loco, qui-
bus nobis indicat ipſius lupi inſi-
dias.

Simili artificio doloq; idem lu
pus exprobrat nobis uerba eiuſ-
dem Diui Bernardi, quæ ſunt in
ſermone eius de Cõuerſione ſan-
cti Pauli. Videbatur iam ceſſaſſe
(inquit ibi Bernardus) perſecuti-
onis tempus: ſed ut palàm factũ
eſt, nunquam deeſt perſecutio
Chriſtiano, ſed neque Chriſto. Et
nunc, quod grauius eſt, ipſi Chri-
ſtum perſequuntur, qui ab eo u-
tique Chriſtiani dicuntur. Ami-
ci tui Deus, & proximi tui aduer-
ſum te appropinquauerunt & ſte
terunt. Coniuraſſe uidetur con-
tra te uniuerſitas populi Chri-
ſtiani à minimo uſque ad maxi-
mum: à planta pedis uſque ad
uerti-

uerticem non eſt ſanitas ulla:
egreſſa eſt iniquitas à ſeniori-
bus iudicibus uicarijs tuis, qui
uidentur regere populum tu-
um: Non eſt iam dicere, ut po-
pulus, ſic Sacerdos: quia nec ſic
populus, ut Sacerdos. Heu heu
Domine Deus, quia ipſi ſunt in
perſecutione tua primi, qui ui-
dentur in Eccleſia tua primatum
diligere, gerere principatum.
Arcem Sion occupauerunt, ap-
prehenderunt munitiones, &
uniuerſam deinceps liberè & po-
teſtatiuè tradunt incendio ciuita-
tem. Miſera eorum conuerſatio,
plebis tuæ miſerabilis ſubuerſio
eſt. Atq; utinam ſola hac parte no
cerent. Eſſet fortè qui Dominica
præmonitus & præmunitus ex-
hortatione, daret operam ipſo-

rum non exẽpla imitari, ſed ob-
ſeruare pręcepta: iuxta illud: Quę
dicunt facite, & ad opera illorum
Matth. 23 nolite reſpicere. Nunc autẽ dati
ſunt ſacri gradus in occaſionem
turpis lucri, & quæſtum æſtimant
pietatẽ. Copioſiſſimæ ſiquidem
pietatis inueniuntur in ſuſcipien-
da, imò accipienda magis anima-
rum cura: ſed hæc apud eos cura
minor, & de animarum ſalute no
uiſſima cogitatio eſt. An uerò Sal
uatori animarũ, grauior ulla po-
terat eſſe perſecutio? Iniquè agũt
& cæteri contra Chriſtũ, multiq;
ſunt noſtris tẽporibus Antichri-
ſti. Hactenus lupus recitat uerba
Bernardi: quibus nos deterret,
& abducere conatur ab his, qui
præſunt Eccleſiæ: tanquàm ille
agnum à ſuo cuſtode hirco. Sed
pruden-

prudẽtis agni eſt obſeruare, quid ſibi uelit Diuus Bernardus illis uerbis: & quid lupus ſua expro- bratione. Diuus Bernardus ibi de- plorat uitia & peccata, non ſolùm eorum qui præſunt Eccleſiæ, ue- rùm etiam ipſius populi. Hoc cer tè & nos aſſiduis gemitibus, ſuſpi rijs, querelis, & lamentationibus facimus. Conqueritur quod qui ſuſcipiunt, imò, ut ipſe corrigens uerbum ait, accipiunt animarum curam, id faciunt magis turpis lu cri cauſa, quàm deſyderio ſalutis animarum. An non nos hoc ip- ſum aſſiduè deploramus? Quod ad me attinet, teſtes mihi erunt, quotquot me iam per triginta duos annos docentem audiue- runt. Non tamen omnes ita faci- unt. Nam ego adhuc noui mul-

tos in Eccleſia noſtra, paſtores fideliſſimos: & qui ſi uellent, poſſent habere quæſtum multò ampliorem quàm habent. Nunc autem contenti ſua ſorte, hoc unum curant, ut gregem ſibi concreditum fideliter paſcant. Atq; interea in ſumma caſtitate pijſſimam uitam agunt: idq; uideo in hac noſtra Eccleſia nunc in ætate eius uergente, &, ut apparet, propemodùm decrepita: quæ naſcens habuit Epiſcopos & Sacerdotes quàm plurimos non ſolùm Doctrinæ excellentia, uerùm etiam uitæ ſanctimonia, & gloria martyrij clariſſimos. Illa autem Eccleſia, ad quam nos inuitat lupus, iam ſtatim in ipſo primo ſuę ætatis flore habet homines ſceleratiſſimos pro paſtoribus, auaritiæ & libi-

libidinis inſatiabilis: è quibus q̊ſ-
dam noui, qui ductas uxores re-
pudiarunt, & alias quæ magis pla
cerent duxerunt. Neq; tamē cum
his ipſis ſine pellicibus uixerunt.
Vt interim nihil dicam de Do-
ctrina, per omnia corruptiſſima,
& impia, adeóq; blaſphema. Ta-
lia cùm ſint principia iſtius Eccle-
ſiæ, quem putamus fore progreſ-
ſum? qualē ętatem maturā? qualē
ſenectam? Si modò contingat eā
ad ſenectā peruenire, quod equi-
dem non puto futurum. An igi-
tur Diuus Bernard⁹ uoluit nos à
noſtra Eccleſia propter multorū
corruptos mores deficere ad illā
talē? Nihil minus, uiri ac fratres
mei dilectiſſimi. Nā audiam⁹ ea,
q̄ mox in eodē illo ſermōe dicit, à
lupo eadē aſtutia, qua illa in illo in
Canti-

Canticum canticorum abſciſſa ac diſſimulata. Hæc uidet Chriſtus, inquit, & ſilet: hæc Saluator patitur, & diſſimulat. Propterea diſſimulemus nos quoq; neceſſe eſt, & ſileamus interim, maximeq́; de Prælatis noſtris, magiſtris Eccleſiarum. Sic nimirum, ſic placet & ipſis ut euadant nunc humana iudicia: ueniatq́; ſemel iudiciũ graue his, qui præſunt: & potentes patiantur tormenta potēter. Ecce uiri ac fratres, hoc eſt conſilium Diui Bernardi, hæc eius ſententia: non ut deficiamus ab Eccleſia propter fœtores illorum hircorum: ſed ut toleremus eos quandiu tolerat eos Chriſtus. Eodem pertinet parabola Domini de Zizaniјs, Matthæi decimotertio.

Iam

Iam his intellectis, ultrò eua-
neſcunt illæ nebulæ, quas lupus
offundit agnorum oculis (lupum
hîc nullum hominem certum no
mino, ſed ipſum diabolum, qui
per eos quos ſeduxit loquitur) cũ
citat Hadrianum Sextum Pon-
tificem Romanum, confitentem
quòd Dominus perſecutionem
Eccleſiæ permittat propter pecca
ta hominum, & maximè ſacerdo
tum, & abominandos abuſus in
ſpiritualibus in ſede Romana.
Item cùm recenſet, quæ uitia o-
ſtenderint in Eccleſia à Paulo
Tert. Cardinales delecti: ut,
quòd Summi Pontifices coacer-
uent ſibi adulatores: quòd Cardi-
nales ambiant Epiſcopatus, &c.
Itẽ quæ admonuerint Cardinales
legati à Sũmo Põtifice in Cõcilio

Tri-

Tridẽtino. Ex quibus omnibus colligit, poſteriores Pontifices, & cæteros ordines plurimum degeneraſſe à prioribus, tanquã filios à patribus. Hoc autẽ quis negat? Nónne hoc eſt, quod cum Diuo Bernardo non ſolùm nos deploramus, uerùm etiam ipſe Pontifex Hadrianus, & ipſi Cardinales à Paulo Tertio delecti, & ipſi legati in Concilio deplorant, conqueruntur, & petunt à patribus conuocatis, ut his malis ſtudeant mederi? Iam quod inde cõcludit, ideo eos nõ poſſe eſſe Iudices Doctrinę Eccleſiaſticę, ut demus eſſe bonam conſequentiam, ſaltem de illis qui ſic degenerarunt, facilimum eſt & expeditiſſimum reſpondere: Sint igitur hi Pontifices Iudices, qui talibus querelis

&

& mandatis declarant ſe non de-
generaſſe: ſint horum legati: qui
ſua illa tam pia admonitione de-
clararunt, quàm graue & ſynce-
rum haberent iudicium: & quàm
piè optauerint abuſus illos, &
quicquid illorũ malorum eſt, ex
Eccleſia ſublatum eſſe. Hi inquã,
ſint Iudices, & cæteri Epiſcopi ac
patres, qui ad hoc ipſum tãquam
Senatus ciuitatis Dei conuocan-
tur, ut de talibus cognoſcant, &
ſententias ferãt. Sed quia hi ſunt
paſtores gregis, ideo lupus refu-
git horum ſententias: & priuſ-
quàm incipiant iudicare, ipſe ab
eorum iudicio appellat. Certò
enim præſcit, ſe horum ſenten-
tijs condemnatum iri. Quem
igitur appellat? Audite, uiri ac fra
tres in Chriſto Ieſu dilectiſſimi,
audite,

audite, inquã, & cognoſcite, quibus technis ſe iudicio ſubtrahere conetur, ut ſublato omni iudicio, reiecta omni authoritate & poteſtate, ipſe pro ſua libidine in ouili Chriſti impunè graſſari poſſit, uſq; in ipſius Domini gregis, quẽ ſperat adhuc abeſſe lõgiſſimè, aduentum. Hunc enim appellat Iudicem. Idq; ſe rectè facere, perſuadere nobis conatur argumento è ſymbolo Apoſtolorum ſumpto, ubi dicitur: Quòd is uenturus ſit iudicare uiuos & mortuos. Videtis uiri ac fratres, quàm uerum ſit quod dici ſolet: Lupus pilos non mores mutat. Ita ab initio ſemper cum imperitis Scripturarum agit, ut harum prætextu eos decipiat. Quid ais ô execrande? Hæccine eſt ſententia illius articuli?

culi? Cur nõ recitas etiam ea quæ præcedunt? Præcedit autem: Adſcendit ad Cœlos: ſedet ad dextrã Dei Patris omnipotentis. Iam ſequitur: Inde uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos. Interea tu cruentiſſime, tu ſanguinaria beſtia, tu aduerſarie diabole, graſſaberis in ouili Chriſti? Ne ſpera hoc ô ſceleſtiſſime. Fruſtrabitur te iſta tua ſpes tam improba. Ipſe enim priuſquam aſcenderet, conſtituit in hac terra iudices ſuo loco, qui te cum tuis impoſturis iudicabunt & profligabunt. Hi ſunt quibus ipſe dixit: Sicut me miſit Pater, & ego mitto uos: accipite Spiritum ſanctum, &c. Et qui uos audit, me audit. Et quibus aperuit ſenſum ut intelligerent Scripturas, ut poſſent de Doctri

na iudicare. Hos, inquam, & horum ſucceſſores conſtituit iudices controuerſiarum de Doctrina & Religione quãtumuis reclamet aduerſarius.

Sed ait, hoc poſſe concedi in illis ſucceſſoribus, qui ſuccedunt Apoſtolis, non in Cathedris, ſed in Fide & Virtute. In aliis autem non. Iam quæro, quare ergo Caiaphas prophetauit, quod Chriſtus eſſet moriturus pro gente: utrùm q̊d in Fide & Virtute ſuccederet Aaroni, an q̊d in Pontificatu? Certè Ioannes Euãgeliſta reſpondet: qa erat Pontifex anni illius. Ergo unctio ſpiritus prophetici ſequebatur Pontificatũ, non fidẽ aut mores Caiaphę, quẽ conſtat fuiſſe hominẽ impiũ. Hic nobis obululat lupus; Hoc eſt unum

num duntaxat exemplum: quo nihilò plus poteſt probari, quàm ſi quis hoc modo argumentetur: Aſina Balaam locuta eſt uerba humana; ergo omnes aſinæ loquentur uerba humana. Obſecro uiri fratres, quid hoc eſt argumenti? quid inter hæc duo ſimile? Deus in Deuteronomio uerbis diſertiſſimis promiſit, quod ſummus Sacerdos unà cum reliquis Leuitici generis eſſent iudicaturi iudicij ueritatem, idq́; ſecundùm Legem tanquam ſecundùm regulam. Hanc ſuam promiſſionem adeò noluit fieri uanam, ut etiam in impio Pontifice ueram faceret. Quid ſimile in aſina Balaam? Vbi promiſit unquam aſinas debere loqui uerbis hominũ? Vnde ſuprà clariſſimè oſtẽdimus,

etiam illud iudicium, quo Chriſtum adiudicauerunt morti, fuiſſe quidem iniuſtiſſimum propter impietatem iudicum, ex falſis criminibus procedentium, cùm dicerent Chriſtum eſſe ſeductorem blaſphemum,&c. Secundùm Legem tamen fuiſſe iudicium ueritatis. Quia tota Lex & Prophetæ habebant, quod Chriſtum oporteret pati, propter peccata, non ſua, ſed noſtra: & ita intrare in gloriam ſuam: quemadmodum ipſe docuit duos illos diſcipulos in itinere, explicãs illis Scripturas Legis & Prophetarum, teſte Euangeliſta Luca Capite uigeſimoquarto. Vis tu hæc cõparare cum aſina Balaam?

Rurſus, ſi nihil ad hæc facit ſucceſſio in Cathedra, ſed ſucceſſio

ſio in Fide & uirtute, quæro quamobrem Chriſtus ipſe tam grauiter præceperit turbis atque diſcipulis ſuis, ut ſeruarent & facerent omnia, quæcunque Scribæ & Phariſęi dixerint eis? Nam hos non ſucceſſiſſe Moyſi in Fide & uirtute, manifeſtū eſt: quia flagitia illorum multa & maxima in eodem illo capite Dominus Ieſus reprehendit grauiſſimè. Qua igitur de cauſa uoluit eos audiri? & omnia quæ dixerint, à turbis & ſuis diſcipulis fieri? Reſpondet Dominus Ieſus ipſe: Quia ſuper Cathedram Moyſi ſederunt: ergo, inquit, quæcunque dixerint uobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera uerò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Quid obſecro aduerſum hæc

dici poteſt? Attamen obijcit ad‑
uerſarius, Apoſtolos non feciſſe
ea, quæ illi eis dixerunt: ſed cùm
denunciaſſent eis, ne omninò lo‑
querentur, neq; docerẽt in nomi‑
ne Ieſu, reſpondiſſe. Si iuſtum eſt
in conſpectu Dei uos potius audi
re quam Deum, iudicate. Non e‑
nim poſſumus quæ uidimus &
audiuimus non loqui. Quid igi‑
tur dicemus? Vtrum iocatus eſt
Chriſtus cum turbis & diſcipulis
ſuis, quando tam grauiter præce‑
pit, ut omnia, quæ illi dicerẽt eis,
ſeruarent ac facerent: an diſcipuli
auſi ſunt tam graue ſeriumq́; præ
ceptum Domini tranſgredi? Neu
trum horum fratres mei, ſed cùm
præciperet illud, ualdè ſeriò locu‑
tus eſt: & cùm Apoſtoli ſic reſpon
derent illis, nihil aduerſus illud
præce‑

præceptum admiſerunt. Qui ſic?
Quia cùm Apoſtoli contra illo-
rum edictum pergerent annun-
ciare Chriſtum, iam abolita fuit
Cathedra Moyſi, & erecta Cathe
dra Chriſti: ut iã ea res nihil per-
tineret ad illud mandatum de ob
ſeruando & faciendo omnia quæ
illi dicerent. Hoc ita eſſe, cùm ex
alijs, tum ex epiſtola ad Hebræos
manifeſtiſſimum eſt. Translato *Hebræ. 7.*
enim Sacerdotio, inquit, neceſſe
eſt, ut & Legis translatio fiat. Si
itaque tunc tanta neceſſitas in-
cumbebat omnibus audiẽdi eos,
qui ſedebant in Cathedra Moyſi,
ſiue boni eſſent, ſiue mali: ut mor
te puniendum eſſet peccatũ eius,
qui aduerſus illos ſuperbiret, no-
lens obtemperare: quanto graui-
or nunc nobis incũbit neceſſitas,

audiendi eos qui ſedent in Cathe
dra Chriſti? & quanto grauius
peccatum eſt aduerſus hos ſuper-
bire, & his nolle obtēperare? An
non Chriſtus ipſe in hoc uel ma-
ximè declarauit obedientiam ſu-
am Deo patri ſuo, quod ſe illis ta
libus iudicandum permiſit: neq;
in ipſo iudicio uel minimo uer-
bulo factus eſt illis obſtreperus?
Quòd autem apud Matthęum 23.
& aliâs tam grauiter eos incre-
pat, quemadmodum & Ioannes
Baptiſta apud eundem Euange-
liſtam, & Lucam Cap. 3. id non-
dum adimit eis functionem illam
publicam, & Iuriſdictionem: ſed
increpat eos propter enormita-
tem peccatorum: & prædicit eis
inſtare tēpus, quo relinquatur eis
domus ipſorū deſerta. Aderat em̄
iam

iam finis ſacerdotij ipſorum: & inſtabat tempus noui ſacerdotij, ſecundùm ordinẽ Melchiſedec, in oblatione panis & uini: cuius Põtifex erat Chriſtus ipſe, ab ipſo Deo per iuſiurandum confirmatus ſacerdos in æternũ. Cæterum erat poſt ſacerdotium illud Aaronicum uenturũ ſacerdotium ipſius Chriſti. Nihilò minus tamen Deus uoluit illis præſtari obedientiam, & illorum iudicio & imperio obtemperari uſq; ad ultimum eius ſacerdotij finem: quanto magis itaq; nos debemus obtemperare ſacerdotibus his, qui ſedent in Cathedra Chriſti, & quibus dixit, Qui uos audit, me audit, cùm certò ſciamus poſt hoc ſacerdotium nullum eſſe uenturum aliud? Sed audio: Obtempera-

rem, ſi tales eſſent, quales erant Apoſtoli: nunc ſunt ambitioſi, auari, luxurioſi, & omninò tales, quales in illis duobus ſermonib⁹ deſcribit Diuus Bernardus. Audio te: ſed audi me uiciſſim, quiſquis es qui talia obĳcis: An non erant multò magis etiam tales illi qui occiderunt Prophetas, qui occiderunt ipſum Chriſtum? Et tamen Deus tolerauit eos uſque ad ipſius Chriſti aduentum, inſcrutabili diuinæ ſapientiæ ſuæ conſilio, malitia & iniuſtitia illorum abutens, ad perficiendum myſterium Crucis, ad ſalutem totius generis humani. Quis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Per illos percuſſit unigenitum illum, atq; unicè dilectū filium ſuum, puniens in eo pecca-

ta noſtra: quid ſi illi placeat per horum iniuſtitiam atque tyrannidem punire in nobiſmetipſis, ea quę ipſi admittimus qui ſumus membra, conſtituentes corpus illud, cuius ille eſt caput? Neq; enim ideo propter peccata noſtra percuſſit illum innocentem, ut nos nocentes in peccatis noſtris deliciemur, nihil pro his afflictionum ferentes: ut multi noſtra hac tempeſtate ſeducti à lupo falſò ſibi perſuadent: ſed quemadmodum teſtatur Petrus, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum ut ſequamur ueſtigia eius. Et Paulus dicit ſe adimplere ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Quare cùm ibidem iu- 1.Pet.2.

beat

beat Petrus ſeruos ſubditos eſſe in omni timore dominis ſuis, non tantùm bonis & modeſtis, uerùm etiam diſcolis: quantò magis uult nos eſſe ſubditos ſacerdotibus, qui ſedēt in Cathedra Chriſti, qualeſcunque etiam hi ſint, dummodo tolerat eos Chriſtus? Nam hoc ipſum eſt, quod ait Diuus Bernardus in ſermone de Cõuerſione ſancti Pauli, ut ſuprà oſtendimus: hæc uidet Chriſtus, inquit, & ſilet: hæc Saluator patitur & diſſimulat. Propterea diſſimulemus nos quoque neceſſe eſt. Ecce, uiri doctiſſimi, & quicunque eſtis, uel domini mei, uel fratres in Chriſto Ieſu chariſſimi, hoc eſt, fundamentum conſtituendæ pacis in Eccleſia Chriſti. Hoc ante omnia ponere neceſſa-

ceſſarium eſt. Quod niſi poſitum fuerit, corruet quicquid conſtruxerimus. Quamobrem hoſtis noſter diabolus, quotieſcunq; meditatur per hæreſes & ſchiſmata turbare pacem Eccleſiæ, ſemper hunc fodit cuniculū, ut hoc fundamentum luxet: quemadmodū ſuprà docuimus uerbis Diui Cypriani: nempè ut populum abducat ab obedientia, quam debent Epiſcopis & paſtoribus, tāquam lupus oues à paſtoribus & cuſtodibus ſuis: in primis autē ut Principes tanquā arietes gregis, ut ſecundùm Homerum loquamur, nonſolùm abducat à paſtoribus, uerùm etiām in ipſos incitet, ut potentiæ ſuæ cornibus eos ferientes, à paſtione cuſtodiáq; gregis depellant & arceant. Ad hoc

miris

miris utitur impoſturis. Per adu-
lationes doloſiſſimas perſuadet
Principibus, ipſos eſſe paſtores
gregis: & cùm anteà declinans iu
dicium Epiſcoporum in contro-
uerſijs de Fide, Doctrina, & Re-
ligione, appellaret ipſum Chri-
ſtum, nullum Iudicem in his ter-
ris præter hunc & ſacram Scriptu
ram recipiens, hic tamen adulati-
one hypocritica ipſos Principes
conſtituit Iudices, his iniungens,
ut legant ſcripta Prophetica &
Apoſtolica, & cum ijs conferant
Doctrinam miniſtrorum: inuo-
cent Deum pro ſapientia exem-
plo Salomonis, & caueanr ſibi ac
populo à Pſeudoprophetis. No-
uit ueterator aſtutiſſimus longè
perplexioribus negocijs diſtrahi
Principum animos, quàm ut ua-
cet

cet eis tantam comparare ſcien-
tiam Scripturæ diuinæ, quanta o-
pus eſt ad illud iudicium: ideóq;
facilimum ſibi fore his impone-
re; ſi modò queat eis perſuadere;
ut reiectis Epiſcopis, ſacerdotib9;
ac doctoribus, quos Deus in hoc
ipſum dedit Eccleſię ſuę, ut his ſtu
dijs toti uacent, quemadmodum
docet Paulus, & quotieſcunq; o-
pus eſt, iudicent, ut his, inquã re-
iectis, ipſi ſibi iudicium ſumant.
Vt autem hoc eis perſuadeat, ab-
utitur exemplis ex libro Iudicũ,
ubi legimus in populo Iſraëlitico
iudicaſſe non ſolùm Leuitas, ue-
rùm etiam aliarum tribuum ho-
mines: atq; hac ratione præceptũ
Domini, quod extat Deut. 17. niti
tur eleuare: quaſi illud non ſit ibi
feriò per Moyſen à Dño poſitum
Atq;

Atq; imperitis quidem & nō at-
tendentibus quàm latè pateat no
men iudicis: & ad quæ genera iu-
dicum quæ genera quæſtionum
ſint referenda, facilè perſuadet rē
ita ut ipſe dicit habere. Qui uerò
obſeruant, in illis iudicibus, de
quibus loquitur Liber Iudicum,
fuiſſe etiam Deboram mulierem:
Paulum autem Apoſtolum ueta-
re mulieres in cœtibus Eccleſiaſti
cis etiam loqui, tantum abeſt ut
de Doctrina ac Religione iudi-
care, hi, inquam, qui hoc obſer-
uant, ſtatim animaduertunt inſi-
dias lupi, nempè quòd nihil aliud
his adulationibus agat, quàm ut
arietes gregis unà cū ipſo grege à
paſtoribus abductos, ſibi faciat
prædā ampliſſimā, ex qua ſangui-
nariam ſuam ingluuiē in magna
ſecu-

ſecuritate ſatiet aſſiduè. Vtitur etiam exemplis Dauidis, & Salomonis, qui cùm eſſent Reges, tamen docuerunt: & Salomon dictus eſt Eccleſiaſtes: quibus Regibus & Principibus perſuadere conatur, ad ipſos etiam docēdi munus pertinere: ut iam uanum ſit quod dixit Dominus per Malachiā Prophetam: Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: & Legem requirēt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Huiuſmodi carminibus imperitis facilè nebulas tenebraſq; offundit, & rectum de Politia ciuitatis Dei iudicium excantat. Prudentes uerò, & in Scripturis diuinis exercitati, ſtatim intelligunt impoſturas lupi: & quod iniuſtiſſimè calumnietur Eccleſiā, & huius Rectores Paſtoreſque,

Epiſcopos, quaſi ab omni docen-di munere prohibeāt eos, qui non ſunt Sacerdotes: cùm Hymnos Prudentij uiri Conſularis etiam in choro publicè decantent: & ea quæ is in laudem Dei ac Sanctorum eius, & contra hæreſes ſcripſit, in ſumma habeāt ueneratione. Quin ego ipſe cùm ſim non ſacerdos, ſed laicus, in matrimonio conſti-tutus, iam per annos triginta du-os in hac ſchola Embricēſi doceo: non ſolùm artes liberales, Poë-tas, & Oratores, uerùm etiā Scri-pturas diuinas utriuſque Teſta-menti: & ab hoc tantum abeſt, ut quiſquam me unquam prohibue-rit, ut multi etiam Presbyteri di-gnati ſint me quantumuis tenui doctrina, tamen docentem audi-re; & aliquot ſacræ Theologiæ

Docto-

Doctores, q in Academiis Theologiam profitentur, mihi de hoc etiam gratias egerint. Nec ſpero unquam fore, ut quiſquam mihi uitio uertat, quod nunc ſcribendo etiam doceo, per quos cuniculos lupus irrepſerit in ouile Chriſti: & quibus rationibus hinc ſit exigendus, & quomodo muniẽdum ouile, ne poſt hac tam facilè in id reuertatur. Quod ſi quis inter Reges ac Principes ſit, qui ſimilia præſtet, hoc nunquam improbabunt Epiſcopi: quemadmodum nec improbarunt Henricum Octauum Angliæ Regem, cùm ille graui ac docto libro reprehenderet errores Martini Lutheri. Quod autem doloſè nequaquam ex animi ſui ſententia, ſed ad contegendam ſuam ipſius

Pſeudoprophetiam adijcit lupus: Et caueant ſibi ac populo à Pſeudoprophetis, hoc utinam rectè & conſtanter feciſſet ille Rex. Nam hac ratione & ſe, & Regnum ſuum ab ipſo lupo, & huius tam immani cruentiſſimaq́; laniatione cõſeruaſſet. Porrò intrare Eccleſias, & aſcendere ſuggeſtum, annunciareq́; populo Euãgelium, cęteraq́; adminiſtrare, quæ propriè ad Sacerdotes pertinent, hoc non opinor affectare Reges ac Principes: neq; eſt illorum officij. Hæc enim nemo facere debet, niſi ritè ad hoc miſſus. Quomodo prædicabunt, inquit Apoſtolus, niſi mittantur? Sed hic ex aduerſo nobis obululat lupus: Oportet quidẽ eos mitti, inquit, qui prædicabunt: ſed nõ à Pontificibus & Epiſcopis: eò ꝙ

Rom. 10.

Apoſto-

Apoſtoli non fuerũt miſſi à Caia-
pha & Anna: & tamen prædica-
runt: qui tamẽ erant ordinarij ſuc
ceſſores Aaronis. Quid ſi ergo, in
quit, Romanus Pontifex fiat Ca
iaphas, an non ſine authoritate &
unctione eius, licebit pio ac docto
uiro in Eccleſia, ad quam conſen-
ſu Magiſtratus & populi uocatus
eſt, Euangelion Chriſti annuncia-
re, & Sacramenta eius adminiſtra-
re? Hæc ille. Nondum agnoſcitis
uocem lupi, uiri fratres? Imò uos
Sereniſſimi Reges, uos Illuſtriſſi
mi Principes, qui eſtis arietes gre-
gis Dominici, uos, inquam, non-
dum agnoſcitis uocem? nondum
tam deformem & raucum ſæuiſſi-
mi lupi ululatum? Nondum ipſe
ſatis apertè uobis oſtẽdit, per quẽ
cuniculum irrepat in ouile? Quid

ais tu cruentiſſima beſtia? ſiccine mittendi ſunt, qui annunciabunt Euangelion Ieſu Chriſti, & Sacramenta eius adminiſtrabunt? Hoccine eſt mittere, ultrò ſibi accerſere, qui loquantur ea quæ ipſis qui accerſunt placeant? qui fœdæ ac hypocriticę adulationis unguibus turpiter ſcabant inſanum illum & leproſum aurium pruritum? Vtinam nunc tandem poſt has noſtras tam diuturnas & acerbas calamitates: poſt tuas tam cruentas laniationes exurgat Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & interficiat te ſpiritu oris ſui, & deſtruat te illuſtratione aduentus ſui. Spero autem illum miſertum noſtri iam adeſſe propè, ut nos ex tuo iſto rapaci rictu, ſæuiſſimisq; dentibus ac unguibus eripiat. Sed
ad

ad uos reuertor, uiri ac fratres in Chriſto Ieſu mihi chariſſimi: imò in primis ad uos ò Reges ac Principes mihi propter Celſitudinem & potentiam ueſtram ſuſpiciendi atque tremendi: propter functiones publicas, ac beneficia in populum Dei, reuerētia & honore ſummo quo poſſum colendi: propter communionem autem patriæ noſtræ Cœleſtis, communis Patris noſtri Dei Matriſq; Eccleſiæ omnibus officijs charitatis proſequēdi. Ad uos, inquam, uniuerſos reuertor, & per Dominū Ieſum obſecro, attendite & uidete dolos & impoſturas ſæuiſſimi lupi. Quia uidit clarius eſſe uerbum Apoſtoli, quo dicit: Quomodo prædicabunt niſi mittātur? quàm ut occultari poſſit, doloſè nobis concedit,

oportere quidẽ mitti eos, qui an-
nunciabunt Euangelion, & admi
niſtrabunt Sacramenta: ſed non à
Pontificibus & Epiſcopis. Id pro-
bat hoc argumento: Apoſtoli nõ
fuerunt miſſi à Caiapha & Anna:
& tamen prędicarunt: cùm tamen
Annas & Caiaphas eſſent ordina
rÿ ſucceſſores Aaronis. Quale hoc
eſt argumentum? Non erant illi
quidem miſſi à Pontifice Sacerdo
tÿ Aaronici: ſed erãt miſſi ab ipſo
uerè ſummo Pontifice Ieſu Chri-
ſto, cuius Pontifex Aaronicus um
bra duntaxat fuerat: de quorum
uocatione & miſſione ſic ſcribit
Matthæus: Et conuocatis duode
Mat. 10. cim Diſcipulis ſuis, dedit illis pote
ſtatem ſpirituum immundorum,
ut eÿcerent eos, & curarent om-
nem languorem & omnem infir-
mita

mitatem . Et cùm nominatim re-
cenſuiſſet eos Euangeliſta, pergit
his uerbis:Hos duodecim miſit Ie
ſus,præcipiens eis,dicens:In uiam
gentium ne abieritis,&c. Vides lu
pe,hos neque ſe ultrò ingerere,ne
que à magiſtratu populoq́; uoca-
ri, ſed à ſummo Pontifice uocari
& mitti. Vocabantur quidem:ſed
nequaq̃ ab illis , quibus erant an-
nunciaturi Euangeliū, ſed ab ipſo
Pontifice conuocabātur,ut is tra-
dita eis poteſtate operādi ea, prop
ter quæ mittendi erāt,mitteret e-
os:nec miſit eos ad auriū delicias,
ut horum pruritum ſcaberent, ut
faciunt hypocritæ lupi : ſed miſit
eos tanquàm oues in medio lupo
rum.Poſt reſurrectionem autem
ſuam,priuſquàm aſcēderet ad Pa-
trem, audi quomodo mittat eos:

Sicut miſit me Pater, inquit, & e-
Ioan. 20. go mitto uos, hæc cū dixiſſet, in-
ſufflauit: & dicit eis: Accipite Spi
ritum ſanctum: quorum remiſe-
ritis peccata, remittuntur eis: &
quorum retinueritis, retēta ſunt.
Nondum uidemus quòd oporte-
at à Pontifice mitti eos, qui annū
ciabunt Euangelion, & Sacramē-
ta adminiſtrabunt: Sacramentum
eſt hæc ipſa miſſio: quod lupus in
enumeratione Sacramentorū Ec
cleſiæ cum aliis quatuor omittit,
duntaxat agnoſcens, Baptiſmum
& Cœnā Domini: ac ne hæc qui-
dem duo ſine ſacrilega ſua temera
tione: cū Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſe-
ptem Sacramenta dederit. Et qui
non perceperunt Sacramentū hu
ius miſſionis, (Ordinē uſitata lo-
quendi conſuetudine cum Eccle-

ſia dicimus) hi neq; idonei ſunt ad annunciandum Euangelium po-pulo, neq; ad conſecrandum pa-nem & calicem Domini, neq; ad reliqua, quæ propriè ſacerdotum ſunt peragenda. Propterea ſuprà dixi, id quod tales populo mini-ſtrant nomine Cœnæ Dominicæ, nihil minus eſſe quã Euchariſtiã, nihil minus q̃ corpus & ſanguinẽ Domini. Ideóq; hos eſſe qui miſe rum populũ toto hoc Sacramẽto fraudãt, Eccleſiæ interim falſiſſi-mè impingentes q̊d eum dimidia eius parte fraudet. Porròquẽad-modũ Chriſt⁹ ipſe poteſtatẽ habu it mittẽdi Apoſtolos poſt ſe, ſicut ipſe fuit miſſus à Patre, ita & Apo ſtolis dedit eandẽ poteſtatẽ mittẽ di Epiſcopos & Presbyteros poſt ſe, ſicut ipſi erant miſſi à Chriſto.

Hoc

Hoc manifeſtiſſimum eſt ex Epi-
ſtolis Pauli ad Timoth. ac Titũ.
1.Tim.4. Ad Timoth.ita ſcribit:Noli negli
gere gratiam quæ in te eſt:quæ da
ta eſt tibi per prophetiam,cum im
poſitione manuũ presbiterij. Gra
tiam interpretantur ſcholia Græ-
ca autoritatem docendi: Prophe-
tiam intelligit inſtinctũ Spiritus
ſancti,quo Paulus afflatus,elegit
Timotheum in Epiſcopum. Im-
poſitio manuũ presbyterij, Chry
ſoſtomo interprete, erat ea, qua
congregati in unum Epiſcopi,Ti
motheum à Paulo electum unà
cũ ipſo Paulo Epiſcopum cõſtitu
erunt.Chryſoſtomũ ſequitur The
ophylactus,admonens, ut attẽda
mus & obſeruemus, quàm illud
tremendum ſit,& quantũ ualeant
Pontificũ impoſitæ manus.Quod
ſi quis

ſi quis malit impoſitionem manu um presbyterij interpretari eam, quam ipſe Paulus fecit, cùm Timotheum ordinaret presbyterũ, id quantum ad id, quod hic agitur tantundem ualet: & magis cõſonat ei, quod in altera ad eũdem Timoth. 1. ſcribit: Propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Ex his manifeſtum eſt, quomodo Timotheus ſit ordinatus & miſſus ad docendum, & faciendũ cætera quæ ſunt Epiſcopi. Vnde autem cognoſci poteſt, quòd & ipſe per eius ordinationis Sacramentum, gratiam & poteſtatem ordinandi alios presbyteros & Epiſcopos ſit conſecutus? Hoc manifeſtiſſimè cognoſci poteſt ex 3. cap.

prio-

prioris ad eũdem Timotheũ, ubi inſtituit eum, quales ipſe debeat eligere ad Epiſcopatũ. Si quis Epiſcopatum deſiderat, inquit, bonũ opus deſiderat. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris uirum, &c. Nam his uerbis non docet Timotheũ, qualis ipſe debeat eſſe Epiſcop⁹: multa enim illic enumerat, quæ nihil pertinebant ad ipſum. Timotheus enim nullam habebat uxorẽ, neq; filios ullos: & adeo non erat uinolentus, ut etiã opus haberet à Paulo admoneri, ut pro aquæ potu modico uino uteretur, propter ſtomachum & crebras infirmitates. Quid igitur illum his uerbis docet? Nihil aliud, quàm quales uiros debeat ad Epiſcopatum admittere. Si qui digami ſunt, nõ

ſunt

ſunt idonei: ſi qui ſunt ebrioſi, nõ ſunt idonei: ſi qui cæteris uitĳs illic enumeratis laborant, non ſunt idonei, ſi qui habent filios immorigeros, non ſunt idonei: ſi qui domui ſuæ malè præſunt, non ſunt idonei. Tales itaq; ſi deſyderẽt ac petant à te Epiſcopatum, ne admittas, ſed repellito eos. Hæc omnia fruſtra moneret Timotheum Epiſcopum, niſi ipſe Timotheus haberet poteſtatem conſtituendi Epiſcopos. His per oĩa conſonant quæ ſcribit ad Titũ: huius rei gratia reliq te Cretę, ut ea quę deſunt corrigas, & cõſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Ecce mãdat Tito, ut eiſdẽ legib9 ac ritib9 cõſtituat p ciuitates presbyteros, qbus ipſe fuit cõſtitut9 à Paulo. Deinde ſubĳcit, quales

debeat

debeat eligere quos conſtituat. Si quis ſine crimine eſt, inquit, unius uxoris uir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut diſpenſatorem, nõ ſuperbum, nõ iracundum, non uinolentum, non percuſſorẽ, non turpis lucri cupidum, &c. Iam opinor neminẽ tam eſſe nullius iudicij, ut ex his quæ tam multis ac manifeſtis Scripturis probauimus de miſſione, qua Chriſtus ipſe miſſus fuit à Deo patre: & qua ipſe miſit Apoſtolos: & qua Apoſtoli miſerũt Epiſcopos, (ut Paulus Timotheum ac Titũ) & qua hi miſerunt alios, non poſſit colligere, quantam uim habeat illa ſucceſſio: & quàm doloſè atq; mendaciter dixerit lupus, Pio, ac

docto

docto uiro licere etiā ſine autho-
ritate & unctione Pōtificis, in Ec-
cleſia, ad quam cōſenſu Magiſtra
tus & populi eius uocatus ſit, E-
uangelion Chriſti annunciare, &
Sacramenta eius adminiſtrare. Ni
hil aliud ſuo hoc doloſo menda-
cio captat lupus, quàm ut ita per-
ſuaſis, ipſe per ſuos Pſeudopro-
phetas & Pſeudapoſtolos ſeſe in-
ſinuet, ac ueros Paſtores ab ouili-
bus arceat.

Nondum tamen deſinens adu-
latione doloſa in animos Princi-
pum irrepere lupus, ut his perſua-
deat, non ad Pontifices ac Sacer-
dotes, ſed ad ipſos Principes perti
nere iudicium in controuerſijs de
doctrina Fidei ac Religione, uti-
tur exemplo Theodoſij Impera-
toris, quem ait non acceſſiſſe ad ip

ſos Epiſcopos, ſed uocaſſe eos ad ſe tanquam ſuos ſeruos: & inter illos fuiſſe iudicem de controuerſijs illis. Atq; hoc ita intricat, ut ego ipſe uix poſſim me extricare. Nam citat Eccleſiaſticę hiſtorię libri 5. cap. 10. Quænam eſt illa hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ hoc habet eo libro & capite? Sed eſto Typographi culpa deprauatus numerus. Equidem de Theodoſio lib. 9. hiſtorię Eccleſiaſticę, quæ Tripartita dicitur, cap. quarto ſcio ſcriptū eſſe, quòd ſtatim à ſuſcepto à ſe Imperio præ omnibus de recuperanda Eccleſiæ concordia cogitãs, uniuſcuiusque præſulatus Epiſcopos Conſtantinopoli conuenire præceperit. Capite uerò duodecimo eiuſdem libri, conueniſſe illuc centum & quinquaginta Epiſcopos.

ſcopos. Hos autem nequaquàm tanquàm ſeruos ſuos excepit, ſed ad unũ ex illis Meletium nomine, ſtatim cũ ſibi uiſus eſſet, accurrit, & ueluti quiſpiam filius patris amator, poſt multum temporis paterna uiſione potitus, complectebatur eum, & ſimul oſculabatur oculos, labia, pectus, & caput, dextram'que, quæ ipſum in ſomnis coronauerat: inſinuauit'que illi uiſionem quam uiderat. Cumque cæteros congruè ſalutaſſet, rogauit tanquàm patres, (ſic enim habet Hiſtoria, non autem, coëgit tanquam ſeruos) ut de rebus præſentibus cogitarent. Apud Nicephorum autem Calliſtum Hiſtoriæ Eccleſiaſticę lib. 12. capite 15. Quod Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcop⁹, & Theodoſius

Imperator, ex conſilio Siſinij cuiuſdam, quē ait Nicephorus tum in lectorū ordine enituiſſe, & breui pòſt Epiſcopatū ſuſcepiſſe, decreuiſſet ne qua diſputatio ſuſciperetur cum hæreticis: ut quæ aliam ex alia rixam & contētionem párere ſoleret: ſed ut illi interrogarentur, an eos Sacrorum oraculorum interpretes, qui priùs extiterint, quàm diſſenſio in Eccleſijs orta ſit, admitterēt. Ac ſi quidem ſententias illorum eijcerent, tum fore, dixit Siſinius ille, ut eos etiam factionis ſuæ populares eijciant. Sin uerò idoneos ad declarationem ſeu deciſionem controuerſiarum eſſe putarent, ſtatim illōrum libros in medium proferri debere. Atq; hoc ſic ſuaſit, quòd certò ſciret, ueteres cùm in Diuinis li

teris

teris coæternum Patri Filium in-
uenerint, haud quaquam ab ini-
tio aliquo generationem eius in-
cepiſſe, dicere auſos fuiſſe. Vt au-
tẽ & Nectario, & Imperatori op-
timum hoc conſilium eſſe uiſum
eſt, omnibus coactis, cognoſcere
primùm, quid de Veterum ſcrip-
tis illi ſentirent, tentauit. Atq; ubi
illi clamore & admiratione ſuam
erga illos affectiõem & pietatem
indicarunt, apertè pronunciauit:
Si teſtes illi dogmatis claſſici &
idonei eſſent, facilè eos quæſtio-
nem rei cuiuslibet deciſuros, ſi ipſi
in eo acquieſcerent, quod illi de
controuerſijs eiuſmodi & ſenſe-
rint & dixerint. Quandoquidem
autem etiam de eo hæreſium du-
ces diſſentiebant (non omnibus e-
nim eadem de Veterum opinioni

 bus

bus ſententia erat) rem ſecum ipſe perpendens Imperator, intellexit propterea illos propoſitam ſibi conditionem repudiare, quod diſputationibus ſuis confiderent. Quamobrem iniquam ſententiam eorum moleſtè ferēs, hæreſim quamq; libellum, opinionem cuiuſque complectentem, offerre ſibi iuſſit. Atque ubi dies conſtituta aduenit: (hoc iam eſt illud, ex quo dolum ſuum texit lupus, ſuperioribus illis diſſimulatis, ac ne his quidem fideliter recitatis) ex eis qui Trinitatem ὁμοούσιον conſubſtantialem profitentur, Nectarius affuit & Agelius: ex Arianis autem Demophilus: hæreſis ſuę nomine Eunomius: Eleuſius autem Cyzicenus, Macedoniorū partes propugnās. Porrò Imperator opinioni-

nionibus hæreticorum omnibus perlectis, ſolam admiratus eſt, & ueram iudicauit, quæ Trinitatem ὁμοούσιον conſubſtantialem deprædicat: reliquas uerò ut ueritati repugnantes, conſcidit. Ecce, hæc ſunt, ni fallor, quę de iudicio Theodoſij ſignificauit lupus, hoc exemplo perſuadere uolens Principibus Germaniæ, ipſos eſſe legitimos iudices in controuerſijs de Fide, Doctrina, ac Religione: non autem Papam, Epiſcopos, Paſtores, atq; eos Doctores, qui ex profeſſo docent Theologiam in ſcholis. Hos omnes, etiam ipſos Epiſcopos, debere haberi à Principib⁹ pro ſeruis. Sic enim illos Epiſcopos habitos eſſe à Theodoſio. Atq; hæc dum agit lupus, lectorē decipit falſo indicio loci,

in quo hæc habeat Hiſtoria, ne ui delicet lector ad Hiſtoriam poſſit recurrere, ut dolum & mendacia deprehendat: ſed lupo credat, Hiſtoriam ita habere ut ipſe recitat. Nos autem iam ex Hiſtoria Tripartita oſtendimus, q̃. non ſeruiliter, ſed ſumma reuerentia, Theodoſius exceperit illos Epiſcopos, ora eorum, oculos, pectora, & manus exoſculans, maiore teſtificatione amoris ardentiſſimi, quàm ullus unquam filius potuit excipere ſuum patrem, iam diutiſſimè deſyderatum. Oſtendimus etiam ex Nicephoro, quomodo Theodoſius in eo Concilio non ſit nixus ſuo ipſius conſilio & iudicio, ſed ſemper habuerit ſibi coniunctum Epiſcopum ſuum Nectariũ, tanquàm generoſus aries in grege ſuum

um Paſtorem.Huius conſilijs, at-
que illius Siſinij, illa quæ diximus
geſſit.Huius,inquã,Nectarij pre-
iudicio fretus,Eccleſiæ Catholicę
ſententiam amplexus retinuit, &
cum ſumma admiratione uenera-
tus eſt.Iam hoc exemplo nihil mi
nus doceri poteſt, quàm illud q̊d
intendit lupus, nempe ſingulos
Principes debere ſibi hoc domini
um ſumere, ut de Doctrina,& hu
ius controuerſijs ſtatuant,Epiſco
pis autem, Presbyteris, & ſacræ
Theologiæ Doctoribus, debere
tanquã ſeruis ſuis imperare. Quid
autem uerißimè hoc exemplo do
ceri poteſt? Hoc nimirum,quod
religioſiſſimus Imperator Caro-
lus Quintus,atque eiuſdem Reli-
gionis fortiſſimus defenſor frater
Caroli Ferdinandus, Romano-

 rum,

rum, Bohemiæ, Vngariæ, & cæte-
ra, Rex, Sapiẽtiſſimè, Chriſtianiſ
ſimeq; ſe geſſerint in his de Reli-
gione controuerſijs, retinendo ui-
delicet, ac defendendo Religionẽ
illam, quam à maioribus ſuis acce
perunt, quam antiquis illis Eccle-
ſiæ Patribus placuiſſe, atq; his, qui
adhuc ſunt Eccleſiæ Catholicę E-
piſcopis, & Orthodoxæ Fidei Do
ctoribus placere uidebant. Hi re-
ctè ſunt imitati exemplum Theo
doſij: ſed non ex ſententia lupi. Il-
los autem Principes non æquè ſa-
pienter ſibi ac populis ſibi ſubie-
ctis cauiſſe à Pſeudoprophetis,
hoc eſt, gregibus ſuis à lupis, qui
tam citò luporum adulationibus
decepti, ab Epiſcopis, Paſtoribus,
& ordinarijs Eccleſiæ Doctori-
bus, hoc eſt, legitimis ſuis Paſto-
ribus,

ribus, ad ipſos lupos defecerunt. Vnde cum tanto dolore noſtro ui dimus Germaniam noſtram miſeri gregis, adeoq; ipſorum Principum ſanguine inundare: & adhuc lupos illos ſæuiſſimos in medijs ouilibus crudeliſſimè graſſari. Et niſi Deus reſpiciat nos, & Principibus meliorem indat mentem, & ſaniora conſilia ſuggerat, metuendum eſt, ne omnes fiamus præda lupo omnium ſæuiſſimo Turcæ. Nam hoc ipſum in cauſa fuit miſeræ Græciæ, quod huic lupo ceſſit in prædam, quia noluit audire uocem ſui Paſtoris. Poteſt ne hoc aliquo teſte idoneo probari? Poteſt utique, atque eo teſte, qui ipſe ſuis oculis uidit, ſuis auribus audiuit, atque illarum calamitatum pars magna fuit.

Is

Is eſt Leonardus Echienſis Archi-
epiſcopus Mithylenæus, qui ſcri-
pſit Hiſtoriam de captiuitate Cō-
ſtātinopoleos: in qua ipſe cum cæ
teris captus fuit. Ibi tantum ma-
lum deplorans, cauſam eius expo
nit his uerbis: Heu quę ſpes in po
pulo duro, graui iniquitate, qui
tot annis ſine uita ſpirituali ab-
ſciſſus à capite permanebat. Quo-
modo non deſperati, quomodo
non abiecti à Deo: qui tantis diſſi
militudinibus, tantis fictionibus,
tantis ſciſſuris ab Eccleſia elonga
ti Romana, in cordis duritia per-
manſerunt. Etenim iam captiua-
ti, urbe, templis, auro, laribusque
propulſi, in Latinos retorquent
offenſam, aſſeuerantes: Quoniam
unionem, inquiunt, fecimus, ſum
moque Pontifici commemorati-
onem

onem dedimus, meritò indigna-
tum Deum. O pertinaces homi-
nes, inquio, Si malum eſt hoc, priſ
ci Baſilius, Athanaſius, Cyrillus,
cæteríque patres, quos præcipuo
ſanctitatis honore præfertis, mali
cenſendi ſunt, quod ſanctam, u-
nam, eandemq́; Fidem cum Ro-
mana Eccleſia, omnium Chriſtia-
norum magiſtra coluerunt. Non
hæc cauſa eſt, quod unionem, ſed
quoniam unionem non ueram,
ſed fictam feciſtis. Hac de re meri-
tò indignatum Deū, hac de re iu-
ſta animaduerſione in hoſtiū ma-
nibus uos eſſe deductos. An non
ſponſionem de unione, ſancto iu
ramento apud Florentinam Sy-
nodum conſcriptam uiolaſtis? ob-
edientiam declinaſtis? ſententi-
am decreti occultaſtis? An non
ſum-

ſummi Dei nuncij, ò Græci, ueſtrã perditionem iugiter prędixerunt? qui aures ut aſpis, impiè obtu-raſtis, & ſanctam Eccleſiam Ca-tholicam Matrem fidelium obau diſtis. Flete miſerias ueſtras: ar-guite uoſmetipſos: & non alios condemnetis. Mos obſtinatorum hic eſt, ſanctos aſpernari Dei nun cios: uti Sedechias cæteri'que Iu-dæi in Babylonem traducti, Hie-remiam direptionem captiuita-tem'que Hieroſolymorum prædi centem contempſerunt. Hæc il-le Archiepiſcopus exprobrat ſuis Græcis: quæ conferamus cum his, quæ nos Germani iam inde ab eo tempore geſſimus, quo ſecuti uo-cem lupi, à legitimis Paſtoribus noſtris aures auertimus: & expen damus, num peccata Græcorum

imi-

imitantibus, non ſine cauſa eorun-
dem flagella ſint metuẽda? Quòd
ſi lupus ille, qui ſic diſtortis ac de-
prauatis Scripturis, tum Cano-
nicis ſacrorum Bibliorum, tum
ſanctorum Patrum & Scripto-
rum Eccleſiaſticorum, Princi-
pibus ſeſe inſinuat, proditoriis a-
dulationibus eis perſuadens, ip-
ſos eſſe iudices Doctrinæ Euan-
gelicæ, ipſos Epiſcoporum ac
Sacerdotum dominos: ſi ille, in-
quam, lupus non eſſet Princeps
tenebrarum, ſed re uera Ange-
lus lucis, in quem ſe doloſis &
mendacibus adulationibus tranſ-
format, non uteretur talibus
exemplis, quale ipſe per men-
dacium ſuum finxit Theodoſi-
um: ſed quale reuera fuit Theo-
doſius; & quale uerè Magnus ille
&

& laudatiſſimus Imperator Con-ſtantinus. De hoc ita ſcribit Ruf-finus libro 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſti-cæ ca 2. de Concilio Niceno agẽs. Sed in eo Concilio, inquit, admi-rabile factum Principis non puto reticendum. Etenim cùm ex om-nibus pènè locis Epiſcopi conue-niſſent, & (ut fieri ſolet) diuerſis ex cauſis inter ſe quædam iurgia detuliſſent, interpellabatur fre-quenter à ſingulis: offerebantur li belli, culpæ proferebantur: & ma-gis ad hæc, quàm ad id pro quo uẽ tum fuerat, animos dabant. At il-le uidens, quod per huiuſmodi iur gia cauſa ſummi negocij fruſtrare tur, diem certum ſtatuit, qua unuſ quiſq; Epiſcoporum, ſi quid que-rimoniæ habere uideretur, defer-ret. Et cum reſediſſet, ſuſcepit à ſin

gulis

gulis libellos: quos ſimul omnes in ſinu ſuo cõtinens, nec in eis qd contineretur aperiens, ait ad Epiſcopos: Deus uos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatẽ uobis dedit de nobis quoq; iudicãdi: & ideò nos à uobis rectè iudicamur. Vos aũt non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter ꝗ Dei ſolius inter uos expectate iudiciũ, & ueſtra iurgia quæcunq; ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis Dij; & conueniens nõ eſt, ut homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de q̊ ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum: in medio aũt Deos diſcernit. Et ideo his omiſſis, illa quę ad Fidẽ Dei pertinent, abſq; ulla animorũ contentione diſcingite. Cùm hæc dixiſſet, oẽs ſimul que-

timoniarum libellos iuſſit exuri, ne innoteſceret ulli hominum ſimultatio Sacerdotũ. Hęc ibi Ruffinus. Viden' lupe, exemplũ uerisſimũ, tuo iſti per mendaciũ confisto ex diametro repugnãs? Nondum ſatis deteguntur mendacia tua & imposturæ? Nondum ſatis apparet, quo ordine ſummus ille & laudatiſſimus adeoq; diuinus Imperator habuerit Epiſcopos ac Sacerdotes? Vtrùm ſeruorum ſuorum, quale tu nefariè tuis iſtis ſeditioſiſſimis mendacijs conaris perſuadere Principib⁹: an potius iudicũ, & propemodũ dominorũ ſuorum? Quod ſi quis ſit, nõ angelus mendaciorũ & imposturæ per adulationes fœdas, ab illo tenebrarũ principe ad ineſcandum illaqueãdumq; miſſus, ſed angelus lucis

lucis ac ueritatis à Patre lumi-
num, ad ea quæ ab inſidijs & la-
queis liberant, indicandum, uo-
luerit Reges ac Principes eorum
quibus tum ipſorũ, tũ populi ſa-
lus continetur liberè quidẽ, ſed ſa
lubriter admonere, quã amplam
is haberet materiã? Quã multa is
dicere poſſet de ſceleribus inenar
rabilibus, quæ iam in immenſum
excreuerunt ab eo tempore, quo
pleriq; Principes detruſis ab offi-
cijs ſuis Epiſcopis & Archidiaco-
nis, cœperunt per ſuos miniſtros
laicos adminiſtrare ea, quæ pro-
priè pertinent ad iuriſdictionẽ &
functionem illorũ? Quàm horri-
biles paſſim fiunt inceſtus? quàm
multi celebrant nuptias cum
mulieribus, & quàm diu ipſis li-
bet pro uxoribus eas domi ha-
 bent

bent,& cū ſpreta illa coniunctio-
ne matrimoniali,quæ ritè fieri cõ
ſueuit per Sacerdotem, ſatis diu
ſibi uidentur his uſi, repudiāt, &
alias ad eundem modum ducunt.
In ſtupra & adulteria, quantum-
uis etiam manifeſta,quis animad-
uertit? Quid dicam de ſortilegijs,
atq; id genus ſuperſtitionibus &
idololatrijs? Hæc noſtra adhuc
memoria ſolebant diſciplina pu-
blica per Archidiaconos & Ar-
chipresbyteros in Synodis puni-
ri quotannis.Nunc nulla eorū fit
mentio: & interea magna impu-
nitate ac ſecuritate in immenſum
excreſcunt. Quid dicam de Si-
monia? Non erant quidem ab
hac puræ Pontificum curiæ: re-
ſtringebantur tamen aliqua diſci-
plina:& conuictus quòd pecunia
eme-

emerit Sacerdotium, excidebat ab illo. Et fiebat quidem hîc multum impoſturæ, dũ peccatorum deformitatem prætextu aliquo palliabant: ſed palliabant tamen. Nunc aũt ne palliant quidẽ: adeò nihil pudet, cùm omnia fiant impunè. Quàm multi noſtra ætate, cùm in gratia ſint apud Principes, domi autem habeant liberorum turbam, impetrant Sacerdotia maximè opima, pro aliquo ſuorum liberorum. Qui cùm adhuc ſit puer, alitur parte reddituũ in ſcholis: reliquum cedit ſcriniĳs paternis. Qui ſi adultus ab Ordine Sacerdotum abhorreat, ac malit matrimoniũ, inuenitur ratio, ut transferantur Sacerdotia (nam multa etiam pro ſingulis impetrant ſæpè) in aliquem ex iunio-
 ribus.

ribus. Quod ſi hic quoq; adultus repudiet, itur ad tertium, donec perueniatur ad poſtremũ. Quod ſi ne is quidem uelit in illum ordinem redigi, iam itur ad emptorem, & uenduntur quanticunque poſſunt. Neq; in his omnibus ulla habetur Eccleſiæ ratio, ut cogitetur quando peruenturi ſint ad huius miniſteriũ, & an unquàm ſint peruenturi: aut ſi perueniant, qualis de miniſterio talium poſſit eſſe ſpes. Hæc omnia non ſolùm uera ſunt, uerùm etiam adeò nota, ut in iocos abierint. His autem rationibus fit, ut Eccleſię aut nullos habeant miniſtros, aut tales, qui ſint toti mundo offendiculo. Quid autem hinc? Hoc nimirum, ut oẽs execrentur eum ordinem, quem Deus in Eccleſia ſua

per

per omnia ſacroſanctum eſſe uo-
luit. Ecce hæc non fœdus ac men
dax adulator, angelus impoſturę,
&, ut Salomon loquitur, nuncius
impij ad ruinam in malum, à prin
cipe tenebrarũ immiſſus: ſed an-
gelus lucis, & legatus fidelis ad ſa-
nitatem à Patre luminum miſſus
loqueretur: & obſecraret Princi-
pes per Dominũ Ieſum Chriſtũ,
ut harũ rerum haberent rationẽ,
atq; Sacerdotia illa, quæ ipſi rati-
one ſui Patronatus habent con-
ferenda, non conferãt in pueros,
in quibus adhuc nulla extent ſi-
gna futuræ uirtutis aut eruditio-
nis: ſed ſi non in præſtantes iam
uirtute atque doctrina uiros, in
quos uel ſolos conferri debebãt,
conferãtur ſaltem in illos, in qui-
bus iã mediocris ſit eruditio, atq;
 indo-

indoles ad ſtudia Sacrarū litera-
rum, & id uitę genus, quod deceat
Sacerdotem Chriſti appoſita: ut
in his omnibus non tam uentris,
q̃ Eccleſię ratio habeatur. Nolo,
uiri doctiſſimi ac fratres in Domi
no chariſſimi, diutiùs his immo-
rari. Opinor enim me ſatis dete-
xiſſe inſidias lupi, quas ille texe-
rat, ſub illo doloſiſſimó palpo, q̊
Principibus aggreſſus eſt perſua-
dere, ipſos eſſe iudices in cōtrouer
ſijs Doctrinæ, Fidei, ac Religio-
nis: Epiſcopos aūt & Sacerdotes
illorum eſſe ſeruos. Quid igitur
iam deinceps? Placet´ne plures il-
lius ſceleſti latebras aperire? Ha-
bet ille tam multas, in quibus in-
ſidias ſuas collocat, ut ſi omnes a-
perire ac luſtrare debeam, uix un-
quàm finem ſim inuēturus. Inſpi-
ciamus

ciamus tamen adhuc unam. Non
adimit Eccleſiæ Romanę in totũ
nomẽ matris, quatenus uidelicet
miſit ad alias regiones & urbes
pios uiros, qui docerent Euange-
lion. Hoc iam eſt carectum, non
incommodum ad abſcondẽdum
inſidias. Habet enim ſpeciem piæ
cuiuſdam conceſſionis. Iam au-
tem uideamus, quid poſt hoc ca-
rectum abſconderit: Quatenus
autem, inquit, habet colluuiem
Aſoticorum Prælatorum, omni-
nò non eſt agnoſcenda mater.
Quam igitur iam dicemus Eccle-
ſiam matrem? Ieroſolymam, in-
quit, ſic enim ait Dauid: Virgam
uirtutis tuæ emittet Dominus ex
Siõ. Itẽ Eſaias & Micheas, De Siõ
exibit Lex: & uerbũ Dñi de Ieru-
ſalẽ. Et Chriſtus ipſe: Sic ſcriptũ

eſt, & ſic oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prędicari nomine eius pœniten tiam ac remiſſionẽ peccatorũ in omnes gentes, initio facto ab Hie roſolymis. Ex his concludit, non ad Eccleſiã Romanam, tãquam matrem, ſed ad montẽ illum Domini, hoc eſt, inqt, Doctrinã Apoſtolicã, Hieroſolymis accepto ab Apoſtolis Spiritu ſancto euul gatam, ac literis noui Teſtamẽti traditã, confugiendum eſſe. Quid uobis uidetur uiri fratres? Nondũ agnoſcimus eundẽ artificem in ci tandis Scripturis, qui ſua arte nõ dubitauit ipſum etiã Filium Dei adoriri dicẽs: Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptũ eſt enim: Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè

offen-

offendas ad lapidem pedem tuũ?
Nondum huius artem agnoſci-
mus? Quid igitur faciemus? Hoc
nimirum (ſi modò uobis idem ui-
detur quod mihi) ut dum ille nos
eiſdem adoritur technis, quibus
tunc adortus eſt Dominum no-
ſtrum ipſum, nos eadem arte illi
obuiemus, qua Dominus: & quẽ-
admodum Chriſtus pręceptor no
ſter, Scriptura in ſua genuina ſen
tentia accepta, repulit Scripturã
in ſenſum adulterinum ab illo
ſceleſto detortam, ita & nos diſci
puli eius faciamus. Cùm itaq; nos
adoritur illis Scripturis, Virgam
uirtutis tuæ emittet Dominus ex
Sion: & cæteris quas iam recen-
ſui, reſpondeamus illi: Rurſum
ſcriptũ eſt, Chriſtũ dixiſſe Petro: *Matth. 16*
Tibi dabo claues regni cœlorũ. Et
quod-

quodcunq; ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in Cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. Et iterũ ad

Lucæ 22. eundem: Ego autem pro te oraui, ut non deficiat fides tua. Quod ſi ille perrexerit ſuis dolis uti, & aſſumere nos in illum excelſum ſuperbiæ montem, & oſtendere regna huius mundi, dicens: Si uolueris audire Doctrinam meam, demonſtrabo tibi quòd Epiſcopi & Presbyteri ſint ſerui tui: tu autem illorum Dominus & Iudex: iam reſpondebimus ei. Abi tu maledicte Satan: Scriptum eſt

Deut. 17. enim: Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. His armis

opi-

opinor, uiri fratres, execrandum illum eſſe repellendum, idq́; exemplo Principis ac Imperatoris noſtri Ieſu Chriſti. Nam quis noſtrûm eſt tam imperitus ſacrarũ Scripturarũ, qui non intelligat q̃ illæ Scripturæ, quas ille ſceleſtus detorquet ad hoc, ut adimat Romano Pontifici poteſtatem mittendi Epiſcopos & Paſtores, atq; toti Romanæ Eccleſiæ nomen matris, nihil ad eã rem pertineãt? Accepit quidem Doctrina Euangelica initiũ ſuum Ieroſolymę in monte Sion: ſed ibi nequaquàm hæſit: ſed propter duriciem gẽtis Iudaicæ translata eſt inde ad gentes: iuxta id quod Paulus ac Barnabas illis in faciem prædixerunt: Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei: ſed quoniam repel- Act. 13.

repellitis illud, & indignos uos iu dicaſtis æternæ uitę, ecce conuerti mur ad gẽtes. Sic em̃ præcepit no bis Dominus, Poſui te in lucẽ gẽ- tium, ut ſis in ſalutẽ uſq; ad extre mum terrę. Hęc ibi Paulus & Bar nabas. Vnde manifeſtiſſimè con- ſequitur planè contrariũ eius, q̊d nobis pſuadere uult lupus. Quẽ- admodum enim tũc mater Eccle- ſia fuit Ieroſolymæ, ubi erat ca- put populi Iudaici, ubi reſidebat Summus Pontifex, ſucceſſor Aa ronis, ita nunc eadem mater eſt Romæ, ubi eſt caput mundi, & ubi reſidet Sũmus Pontifex, ſuc- ceſſor Petri, principis Apoſtolo- rum, & cui poſt ſe Chriſtus ipſe mandauit curam & Paſtoratum ouium ſuarum uice ſua. Videtis uiri ac fratres, quomodo ubiq; lu

pus

pus capiatur laqueis ſuis, idq́; uir‑
tute Spiritus Chriſti: qui ut ha‑
ctenus eduxit nos ex laqueis il‑
lius doloſi uenatoris, ita quoque
deinceps educet. Hoc nobis de
ipſius immenſa bonitate promit‑
timus. Quamobrẽ huius ſpiritus
ductu aggrediemur diſſoluere al
terius laquei nodũ: quẽ ille uidet̃
omniũ artificioſiſſimè nexuiſſe.

De Clauibus Petro datis, citat
interpretationem Nicolai Lyra‑
ni, in decimumſextũ caput Mat‑
thæi. Deinde ſubijcit ipſe ſuis uer
bis: Claues enim Eccleſiæ datæ
ſunt Petro, & confeſſoribus pe‑
trę, quę eſt Chriſtus. Non ſunt da
tæ Liberio Ariano, aut Marcelli‑
no idololatræ. Datæ ſunt mini‑
ſtro Eccleſiæ, non hoſti Eccle‑
ſiæ. Datæ ſunt ſeruo Chriſti,
non

non ſeruo Antichriſti. Hæc dum ille exaggerando urget, lectorem imperitiorem, tãquàm tenerum adhuc uiatorẽ, per ſcrupos haud leuiter pungentes agit, donec in illas eum tricas impellat, è quibus non eſt omnibus datum ita facilè ſe extricare: multiq; planè impediti hærentes capiuntur. Quamobrem hîc ſanè operæprecium uidetur diligentiùs inquirere tricarum nodos, ut his diſſolutis, effugere poſſimus laqueos uenantis lupi. Videamus itaq; principiò Nicolaum Lyranum, quem propter illum locum nobis tãquàm dulciſſimam aliquam Lyram audiendum commendat lupus: cùm aliâs aliquid canentẽ, q̃d offendat ipſius aures, delirum ſoleat appellare. Nos illi q̃d cęteri tribuerunt

non

non adimemus: & fatemur illum pro ratione ſui ſeculi, non contemnendam operam impendiſſe ſacrarum Scripturarum expoſitioni. Sed quia commẽtarijs Iudæorũ, & maximè illius Rabbini Salomonis, q̃ fuit capitalis hoſtis Fidei Chriſtianæ, adhæſit arctius, factum eſt, ut raró ex illa litera, quam Paulus Apoſtolus uocat occidentẽ, emerſerit ad ſpiritũ uiuificantẽ. Vnde accidit, ut Paulus Epiſcopus Burgenſis, & pleríq; alij uiri docti cõmentaria eius in multis reprehendãt: ideóq; nemo nos ullo iure cogere poſſit, ut præferamus eũ omnibus cæteris Eccleſiæ doctoribus, quantumcunq; etiam illi & antiquitate uenerandi, & doctrina ſuſpiciendi, & ſanctitate adorandi uideantur.

Ne tamẽ inſidioſi lupi more agamus, ſed ſimplicitate agnorum Chriſti, uerba Lyrani optima fide aſſcribemus: deinde iudicabimus, quid alij de illa parte Euangelij ſenſerint: ut quiuis, qui noſtra hęc legere non dedignabitur, queat uidere, an ea re uera fuerit ſententia Lyrani, quam illi ſuo more affingit lupus: & ſi maximè fuerit, quantum illi tunc tribui debeat. Verba Lyrani ſic habent: Et ego dico tibi) pro te & pro socijs tuis. Quia tu es Petrus,) id eſt, confeſſor petræ ueræ, quæ Chriſtus eſt, factus. Et ſuper hanc petram) quã confeſſus es, id eſt, ſuper Chriſtum, ædificabo Eccleſiam meam. Et portæ inferi,) id eſt, perſecutiones tyrannorum, & inſultus & tentationes ſpirituum

tuum malignorum. Non præua-
lebunt aduerſus eam,) à uera Fi-
de ſubuertendo. Ex quo patet,
quòd Eccleſia non cõſiſtit in ho-
minibus ratione poteſtatis uel di
gnitatis Eccleſiaſticæ, uel ſecula-
ris: quia multi Principes & Sum-
mi Põtifices, & alij inferiores in-
uenti ſunt apoſtataſſe à Fide.
Propter quod Eccleſia conſiſtit
in illis perſonis, in quibus eſt no-
titia uera, & confeſſio Fidei & ue-
ritatis. Et tibi dabo claues) non
ſolùm pro te, ſed etiam pro alijs.
Sicut enim confeſſio Petri, erat
confeſſio aliorũ: ita poteſtas hæc
data Petro, intelligitur dari alijs.
Hæc dũ apud Lyranũ inuenit lu-
pus, papè quàm exultat, quanta
cũ proteruia ſimplicitati agnorũ
inſultat. Iam nihil minus quàm

delirat Lyranus,ſed oẽs tam Græ
cos quàm Latinos in explicando
uerbum Dei ſuperat. Deliramen
ta ſunt & Sophiſmata Papiſtarũ,
quicquid cæteri dicunt. Valeat
igitur Chryſoſtom⁹,ualeat The-
ophylactus, ualeat Baſilius Ma-
gnus, ualeat Ambroſius, ualeat
Auguſtin⁹, deniq; Hieronymus,
Cyprianus,Tertullianus,atq; ip-
ſius Petri diſcipuli Clemens & A-
nacletus, adeóq; uniuerſus ille an
tiquiſſimorum patrum chorus,
quorum nemo ferè fuit, qui du-
bitaret ipſum Petrũ,ratione con
feſſionis, quã illic fecit, à Chriſto
uocari Petram, ſuper quam ædifi
caturus ſit Eccleſiã. His omnibus
iam doctior eſt, & grauior fideli-
órq; Scripturę interpres Nicola⁹
Lyranus, quãtumuis aliâs, etiam
ipſius

ipſius lupi ſententia delirus. Sed uideamus obſecro, an illa fuerit Lyrani ſententia, quam lupus nobis tã inſolenter exprobrat. Perſuaſum nobis eſſe uult, Lyranum illis uerbis nullum relinquere Petro Primatum inter Apoſtolos, prærogatiuã nullã. Neq; propterea eſſe, quod Pontifex Romanus ſibi ratione Cathedræ quicquam arroget præ cęteris, non ſolùm Apoſtolis, uerùm etiam quibuſuis hominibus Chriſtianis, in quibus modò ſit uera notitia & confeſſio Fidei & Veritatis. Profectò, uiri fratres, ſi hoc ſenſiſſet Lyranus, tota uia totóq; Cœlo delitaſſet, ideóq; nos meritò hoc tanquã deliro reiecto, amplecteremur illorũ tot uirorũ doctiſſimorũ, quos iã recẽſui, atq; totius

Eccleſiæ ſententiam. Sed non fu-
iſſe illam ſententiam Lyrani, ipſe
Lyranus, cùm alibi, tum illo ipſo
loco ſatis demonſtrauit. Cùm em̃
dixit: Sicut enim confeſſio Petri
fuit confeſſio aliorum, ita pote-
ſtas hæc data Petro, intelligitur
dari aliis, continuò adiecit: Licet
Petro principaliùs, in quantum
erat aliorum capitaneus. Vides il-
lum agnoſcere Primatum in Pe-
tro, dum cæterorum capitaneum
appellat? Idē in aliis ſcriptorũ eius
locis quàm plurimis inuenies.
Vnde manifeſtum eſt, Lyranum
eo loco nequaquàm hoc agere,
ut tollat Ordinem ac Principa-
tum Eccleſiaſticum, quem Deus
ſemper inter Sacerdotes, etiã ue-
teris Legis eſſe uoluit, & Chriſtus
tam claris uerbis inſtituit in Pe-
tro,

tro, & ſemper in Eccleſia perma-
nere uoluit: ſed monere, ne quis
ea poteſtate tyrannicè abutatur,
id quod ipſum quoq; Petrū mo-
nuit Christ⁹ ipſe apud Lucā, cùm
ait: Quod ſi dixerit ſeruus ille in
corde ſuo, &c. Quin etiā nos om-
nes illis uerbis monemur, ne no-
bis blandientes ſtultè credamus,
Deum habiturum eſſe ratum, ſi
quid dolo malo impetremus à
Summo Pontifice, quod ſua na-
tura ſit iniuſtū: qualia multa pròh
dolor, ſępè nō ſine magno dolore
& gemitu uidemus fieri. Quis em̄
credat Deū approbare (tametſi ra
tionibus nobis nō ſemper cogni-
tis permittit, iuxta uerbū Cypria
ni) quod paſſim uidemus opulen
tiſſima quęq; Sacerdotia conferri
in illos, qui nihil minus in uita

 præ-

præſtant, quàm quod illorum Sacerdotiorum functio requirit? Neq; in hoc peccat Pontifex ſolus: ſed peccãt etiã Imperatores, Reges, Principes ac cæteri oẽs, quotquot tales ratione iuris ſui Patronatus, ut loquuntur, Pontificibus, Epiſcopis, Archidiaconis aut illorum uice fungentibus, Sacerdotijs inaugurãdos præſentãt. Peccant & ipſi grauiſſimè, qui Sacerdotia illa ambiunt, nõ ut in illis Deo & Eccleſiæ, ſed ſuo uentri ſeruiant. Peccant præterea, quicunq; ſuis ſuffragijs talia promouent, ſiue id propinqui ſanguinis, ſiue alioqui humani fauoris, ſiue (quod multò etiã grauius eſt) accepti aut ſperati muneris, aut cuiuſcunq; emolumenti gratia faciant. Tam multorũ itaq; peccatis

tam

tã grauibus cõcurrentibus, qd mi raculi eſt Deũ offenſum tales no bis dare Sacerdotes, non quales ipſe probat, ſed quales nos ipſi pe timus? Vnde tam grauiter ſuo Ti *1. Tim. 5,* motheo pręcipit Paulus: Manus, inquit, citò nemini impoſueris, neq; communicaueris peccatis a lienis. Quis credat probari Deo, q̃d multi inſatiabili auaritia inci tati, nullum faciunt finem conge rendi & coaceruãdi beneficia Ec cleſiaſtica, extorquẽdi penſiones, & ingentia uectigalia ab illis exi gendi colligendiq;, quibus nihil unquam uel minimi leuiſſimiq; beneficioli, neq; præſtiterũt, neq; præſtare cogitant? Videas qui cùm fœlicitate ingenij bonam a liquam operam nauent, ac præ ſtent aliquid boni, tamen hoc ip

 ſum

ſum quicquid eſt, dum arripiunt in occaſionē ſe ſuosq́; propinq̄s locupletandi, & ad opes potenti-amq́; euehendi, ita contaminant, ut per multa offendicula, aliaq́; incommoda, duplò plus mali inde conſequatur, quàm fuerit illud, quod præſtiterunt boni. Quàm multa uelantur illis quas uocant diſpenſationes, (ſoluere legibus Latine dicimus) quæ penitus cognita nemo uir bonus probare poterit: neq; puto ipſos Pontifices pleraq; eorum conceſſuros, niſi per impoſturas eorum, qui impetrant, deceptos. Quis credat hæc placere Deo? qs hunc talia approbaturū, etiamſi permittat ea Pontifex? Quod ſi quis Pontifex, aut quiuis presbyter, uel eum quē priuatim oderit,

nolit

nolit abſoluere à peccatis, quantumuis ille idoneam agat pœnitentiam: aut quem priuatim diligat, abſoluat ſine pœnitẽtia, quis credat hanc abſolutionẽ, aut illã ligationẽ ratam eſſe coram Deo? Atq; hoc eſt, quod Diuus Hieronymus (quẽ eadem arte qua Lyranũ citat lup9) in illud, Et quodcunq; ligaueris, &c. ſcribit: Iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri malè intelligentes, aliquid de Pharisæorũ aſſumunt ſupercilio, ut uel damnent innocentes, uel ſoluere ſe noxios arbitrentur: cùm apud Dominum non ſentẽtia Sacerdotum, ſed reorum uita quæratur. Et Lyranus in illum ipſum Euangelij locum de Clauibus ita loquitur: Ipſæ Claues non ſunt materiales, ſed poteſtas ſpiritualis

lis duplex. Vna eſt poteſtas diſcer-
nendi peccatum à nõ peccato: ſi-
cut in ueteri Lege Sacerdotes iu-
dicabant inter lepram & non le-
pram. Aduertẽdum etiam, quod
licet homo non poſſit hoc bene
iudicare ſine ſcientia, tamen ſci-
entia non dicitur clauis, ſed pote-
ſtas iudicandi per ſcientiam præ-
habitam: & ideo licet ſcientia non
ſit clauis, tamen neceſſaria præ-
exigitur, ad debitum uſum huius
clauis. Alia clauis eſt poteſtas ad-
mittendi ad regnũ, uel excluden-
di, ſecundùm uerum iudiciũ præ-
habitum: quia debent indigni
excludi, & digni recipi. Item in il-
lud: Quodcunq; ligaueris ſup ter-
rã, &c. Quia ſuppoſito, inquit, hic
in terra debito uſu clauis, Deꝰ il-
lud approbat in Cœlis: aliter nõ.
Hæc

Hæc Lyranus: ex quibus manife-
ſtiſſimũ eſt, illũ adeò non tollere
Primatum Pontificis Romani,
neque poteſtatẽ eius ulla ex parte
minuere, ut etiã illis ipſis uerbis,
qbus lupus nobis perſuadere uult
illum eã ei adimere, tribuat: dum
uidelicet cæterorũ Epiſcoporum
capitaneum illũ eſſe indicat, ſicut
Apoſtolorũ Petrũ: & dum pote-
ſtatem tribuit admittendi ad re-
gnum, & excludendi à regno: do-
cet autẽ Lyranus illis uerbis quis
eius poteſtatis debeat eſſe uſus.
Vis ut Pontifex, aut quiuis preſ-
byter iudicet tibi iudicij ueritatẽ?
Declara te eo animo ad illũ ueni-
re, ut ex illo diſcas iudicij uerita-
tem: ut cùm eam didiceris, ſe-
cundùm eam uiuas, ſecũdùm eam
agas, ſecũdũ eã ambules. Expone
illi

illi penitùs ac bona fide cauſam tuã, & ora ut nihil aliud iudicet, quàm quod putet eſſe iuſtum in cõſpectu Dei. Quin etiam ipſum Deum obſecra, ut & tuas petitiones, & illius in concedendo iudicium dirigat, ut res utrinq; ipſius diuinæ ſapientiæ ac bonitati probetur. Non eſt res ludicra: nec Deus ſuſtinet à quoquam irrideri, ne quis erret. Errant autem uehementer, q̄ ueniunt ad presbyterum, ac dicũt in genere ſe eſſe peccatores, ac petere abſolutionem: nec tamen exponere uolunt, in quo uel peccauerint, uel metuant ſe peccaſſe. Recitata deinde à preſbytero, aut (ut ipſis loqui placet) miniſtro Eccleſię abſolutiõe, diſcedũt ſecuri, credẽtes ſe corã Deo eſſe abſolutos ab omni culpa, pœ

na, ſatisfactione, & quicquid earũ rerum eſt, quas Spiritus ſanctus ſemper in Eccleſia docuit, ad uerã pœnitentiam eſſe neceſſarias. Ad hos & illos de quibus paulò ante locuti ſumus, nihil pertinet illud Deuter. Et iudicabunt tibi iudicij ueritatẽ. Nã qui tales ſunt, hi nõ quærunt iudicij ueritatẽ, ſed peccati impunitatem, & impunè peccandi licentiam. An quiſquam adeo ſtolidum ac ſupinũ facit Deũ, ut, ſi fortè iniuſtus Pontifex alicui per auaritiã, ambitionem, aut quodcunq; animi uitium aliquid petenti, quod ſua natura ſit iniuſtum, largiatur, concedat, permittat, id ipſe ſit approbaturus? Non eò ſeſe extendit poteſtas ligandi atq; ſoluendi, ut Põtifices atq; Presbyteri faciãt hominibus alijs

poteſtatem impunè peccandi, in ocio delicíjsq́;,& in his quę ſuadet libido carnis uiuendi, alios ob uel leuia, uel etiam nulla peccata grauiter puniant, aut etiam excommunicēt. Ecquis adeò deſipit, ut credat Chriſtum talem poteſtatem dediſſe Apoſtolis, & horum ſucceſſoribus Epiſcopis & preſbyteris? Quemadmodum nec ipſe Chriſtus ideo paſſus eſt, & mortuus pro nobis, & ſatisfecit pro peccatis noſtris, ut nos iam deinceps impunè peccemus: ſed ut peccatis mortui iuſtitiæ uiuamus. Adeóne nobis lupus excǣcauit omnē ſenſum, & om̄e iudiciū ſenſus, ut nō ſentiamus in nobiſmetipſis oēs etiam, q̊d quantūuis Chriſtus afflictiones & mortē pertulit pro peccato illo, q̊d primi illi paren-

parentes noſtri peccarunt in Pa-
radyſo, nihilominus etiam nobis
ipſis ſimiliter ferendas eſſe afflicti
ones & mortem, & ſecundùm uer
bum Petri Apoſtoli, ſequendum
ueſtigia ipſius Chriſti, qui pro no-
bis patiẽs, reliquit nobis patiendi
exemplum: & ſecundùm uerbum
Pauli, ad implendum in carne no
ſtra, quæ deſunt paſſionum Chri-
ſti? Si hoc in illo peccato ſic ha-
bet, ut omnes in nobiſmetipſis cũ
tãta acerbitate doloris ſentimus,
quæ malum dementia eſt, putare
Chriſtũ ita ſatisfeciſſe pro his pec-
catis, quæ ipſi patramus quotidiè,
ut nulla præterea nobis pro his o-
pus ſit ſatisfactione? Siccine pati-
mur nobis ab hoſte noſtro capita
li lupo excantari, non ſolùm iudi-
cium animi rectæ´que rationis, ue

rùm etiam ſenſus communis? In has tam tenebróſas, cęcas, atras, & profundas errorum ſpeluncas abducit nos lupus, quando calumniando mòres Paſtorum noſtrorũ, ſicut Aeſopicus ille fœtorem hirci, abducit ab his, quibus noſtri cuſtodia commendata eſt, à Matre Eccleſia: & per hoc ipſum ab ipſa Matre, quę eſt columna & firmamentum ueritatis. Nunc itaq; reuertamur ad caput, & excutiamus diligentiùs uerba Lyrani, & uideamus quò ſenſu poſſint retineri, & quo debeant repudiari. Et ego dico tibi, inquit, pro te, & pro ſocijs tuis. Quis fecit poteſtatẽ Lyrano hãc adijciẽdi coronidẽ uerbis Domini? Quę ſi tã aduerſaretur inſtituto lupi, q̃ ſuffragari uidetur, iam ſtatim raucũ illud ſuũ ulularet: O

tu

tu falſarie, qui uerbo Dei affingis ea quę nõ ſunt eius. Nũc aũt quia ſibi cõmodũ eſt, contra nos agnos ululat: Videtis ꝙ nõ ſoli Petro, antecesſori Romani Põtificis loquatur: ſed Apoſtolis om̃ibus, quorumcunq; etiam Epiſcoporũ antecesſorib⁹? Quare itaq; mauultis ſe qui Papam Romanum, quã Epiſcopos Grecos? Hæc atq; his ſimilia aduerſum nos lupus. Sed pergamus audire Lyrã, non admodũ benè cõpoſitis fidibus hoc carmen reſonantẽ: Quia tu es Petrus inqt, id eſt, confesſor petræ ueræ, quæ Chriſtus eſt, factus. Vult itaq; Lyranus Petrus eſſe nomẽ denominatiuũ à petra, & ſignificare confeſſorem petræ. Profectò, ſi me titillaret petulantia ſplenis, non posſem cõpeſcere riſum ad talẽ inter-

pretationem, quæ nullam habet, neq; rationem, neq; authoritatem ab ulla Grãmatica, ſiue ea ſit Latina, ſiue Græca, ſiue Hebræa. Latini docent, petroſum, petricoſum, petreium, & petronem à petra denominari: ſed nemo unquàm dixit, horum aliquod ſignificare confeſſorem petræ. Petrus autem, non eſt nomẽ latinum à petra, ſed Atticum in linguam latinam traductum, q̊d Græcè ſcribitur πέτρος: nec unquam ſignificat cõfeſſorem petræ, ſed prorſus idem lingua Attica, quod lingua cõmuni πέτρα, id eſt ſaxum. Iam hoc confirmat Euangeliſta Ioannes cap. 1. ſic ſcribens: Intuitus autẽ eum Ieſus dixit, Tu es Simon filius Ioanna, tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Porrò quòd utrun-

que,

que, Cephas, inquam, & Petrus, nihil aliud ſignificet quàm petra, hoc eſt ſaxum, clariſſimè docet Diuus Hieronymus in Epiſtolã Pauli ad Galatas his uerbis: Non quò aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas: ſed quòd quã nos Latinè & Græcè petram uocamus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ inter ſe uiciniam, Cephan nuncupent. Hieronymi ſentẽtiam confirmat Elias Leuita, nobilis noſtra ætate inter Iudæos Grãmaticus, in opere cui titulum fecit תִּשְׁבִּי, id eſt, Thesbites, in dictione כֵּפָא Cepha.

Pergit in eadem illa fidium intenſione Lyra: Et ſuper hanc petram, quam confeſſus es, id eſt, ſuper Chriſtum, ædificabo Eccleſiam meam. Non libet, uiri fratres,

ad hunc Lyrę cantum diutiùs con
ſiſtere, alioqui & hic indicarem, q̃
non doctè hic quoque tetenderit
chordas ſuas. Malo id paulò pòſt
cognoſcatis ipſi, ubi uobis produ-
cam alium cantorem, incompara-
biliter doctiùs, ſuauiùs, & ipſius
Chriſti carmini conſonantiùs ca-
nentem. Audiamus itaq; reliqua.
Et portæ inferi, id eſt, perſecutio-
nes tyrannorum, & inſultus & tē-
tationes ſpirituum malignorum,
non præualebunt aduerſus eam, à
uera Fide ſubuertendo. Hoc qui-
dem iam non inconcinnè. Quod
autem huic accinit. Ex quo patet,
q̊d Eccleſia non conſiſtit in homi
nibus ratione poteſtatis, uel digni
tatis Eccleſiaſticæ uel ſecularis: qa
multi Principes & ſummi Ponti-
ſices, & aliȷ̈ inferiores inuenti ſunt
apoſta

apoſtataſſe à Fide. Propter q̊d Ec
cleſia conſiſtit in illis perſonis,in q
bus eſt notitia uera, & cōfeſſio Fi-
dei & ueritatis. Hic iā Lyra uidet
nolle diutius in uno aliquo fidium
ordine, putà netis, paranetis, hy-
patis, aut quocunq; alio ſolo uer-
ſari, ut ſolēt fidicines, dum ad mo
deſtiores ac diſcretiores choreas
concinunt: ſed ut uulgò ſub finem
chorearum fieri conſueuit, ſingu-
lis ictibus plectri percurrere chor
das uniuerſas: ad quorum permi-
xtum confuſum'que ſonum ſta-
tim exilit uniuerſa ſaltantiū mul-
titudo: & neglectis ordinibus ita
diſcurrunt omnes, ut niſi ſtatim
à cantu deſiſtat lyricen, illi defici-
entibus uiribus in ipſo pauimēto
ſint collapſuri. Quare ne hoc furo-
re illos accēderet, pręſtiterat nō ita

cõfundere fides: ſed in ſingulis or-
dinibus, quod ſolent muſici docti
ores, habere certas ſui carminis
partes. Diſcretiùs, opinor, ac dul-
ciùs, gratiusq́; his, quibus eſt ſanũ
aurium iudicium, nec non utiliùs
ad finem ſaltãtium, cecinilſet hoc
modo: Ex quo patet, quod Eccle
ſiæ puritas non conſiſtit in homi-
nibus ratione poteſtatis, uel digni
tatis Eccleſiaſticæ uel ſecularis:
quia accidit interim, ut Principes
& ſummi Põtifices, & his inferio
res alij, non modò uiuant impurè,
uerùm etiam ab ipſa Fide palàm
apoſtatent atque deficiant: ut ne-
ceſſarium aliquando uiſum ſit, po
teſtatem illam ac dignitatem per
Eccleſiæ Senatum, qui tales elige-
re & conſtituere debet ac ſolet, ab
illis transferri in uiros meliores.
Prop-

Propter q̊d puritas quidem ipſius Eccleſiæ conſiſtit in illis perſonis, in qbus eſt notitia uera,& confeſſio Fidei & Veritatis, eiuſdemq́; per opera & actiones uitæ declaratio: poteſtas uerò & imperium in illis,qui iuxta diſpoſitionem & ordinem,quem Deus in Eccleſia ſua inſtituit,uel in Cathedris ſedent, uel gladium portant, ſiue hi puri ſint,ſiue impuri. Ideoq́; illi,in quibus eſt Eccleſiæ puritas, tolerant hos, non tam metu ſupplicij,quã ratione conſcientiæ, ne turbantes Politiam ciuitatis Dei, iram ipſius Dei in ſe prouocẽt. Ecce,ſi hoc modo ceciniſſet Lyra, aut adhuc canerent illi, qui ſeditioſo tumultu fides eius ſine diſcrimine pulſant, non eo furore fuiſſet accenſus populus,ut non modò ſaltan-

tium ordines ubique turbent, ue-
rùm etiam Corybãtum more mu-
tuis uulneribus ſeſe conficiant. Iã
audiamus quod reliquum eſt can-
tici Lyræ: Et tibi dabo claues,) nõ
ſolum pro te, ſed etiam pro aliȷs.
Sicut enim confeſſio Petri, erat
confeſſio aliorũ: ita poteſtas hæc
data Petro, intelligitur dari aliȷs.
Atq; hactenus quidem uerba Ly-
rani recitat lupus: quod autem ſe-
quitur, abſcindit: licet Petro prin-
cipaliùs, in quantum erat aliorum
capitaneus. His enim tandem in-
dicat Lyranus, claues regni Cœlo-
rum, id eſt, ciuitatis Dei, quæ eſt
Eccleſia, datas quidẽ eſſe à Rege
ciuitatis Deo, Apoſtolis oĩbus tã
quàm Senatui ciuitatis, ſed ita, ut
eſſent penes Petrum & ſucceſſo-
rem Petri, tanquàm ciuitatis Con
ſulem

ſulem. Hæc cùm ſit Lyrani ſenten tia, quod illa coronis adiecta ſatis indicat, qua dicit: Licet Petro prin cipaliùs, in quantum erat aliorum capitaneus: iniuriam facit lupus non ſolùm nobis, quos authorita te Lyrani premere aggreditur, ue rùm etiam ipſi Lyrano, quod huic affingit id, quod nunquàm ſenſit. Tametſi audiamus quæſo orga- num multo doctiùs compoſitũ, multoq; dulciùs canens, quàm illa cecinerit lyra. Hæc eſt cithara laudatiſſimi illius Pontificis Le- onis. Is nobis uerba Chriſti, quæ ſunt apud Matth. Tu es Petrus, &c. ita canendo ediſſe- rit: Chriſtus ipſe eſt petra, & Pe- trus eſt petra. Chriſtus petra pri- maria, & ſua ipſius uirtute diuina ſolidata; Petrus ſecũdaria prioris,

hoc

hoc eſt Chriſti uirtute ſolidata.
Chriſtus lapis eſt poſitus in funda
mẽtum à Deo Patre: Petrus lapis
poſitus in fundamentum à Chri-
ſto: eodem modo, quo Chriſtus
eſt lux uera, quæ illuminat om-
nem hominem uenientẽ in hunc
mundum, Ioan. 1. & Apoſtoli ſunt
lux mundi, Matth. 5. Chriſtus pro
priè & ſuapte diuina uirtute, Apo
ſtoli, à Chriſto per participatio-
nem. Ecce, hac ratione rectè inter
pretati ſunt alij patres: Tu es Pe-
trus, id eſt, petra ſeu ſaxum à me
ſolidatum ac poſitum in funda-
mentum: & ſuper hanc petram,
id eſt, ſuper te, ædificabo Eccleſi-
am meam. Conſolidatur autem
hoc ipſum fundamentum funda-
mento doctrinę Prophetarum &
Apoſtolorum: tantum abeſt, ut al
terum

terum ab altero extrudatur. Eſt itaque Chriſtus principale funda-mentum Eccleſiæ, quod poſuit Deus Pater, tanquam ædificij Do minus, cum illum in terram mit-teret: poſuerunt & Apoſtoli tan-quam operarij, quando Chriſtum prædicarunt: Petrus autem fun-damentum ſecũdarium, quod po ſuit ipſe Chriſtus, quando miſit eum, ſicut ipſe erat miſſus. Quod ſi quis ſucceſſor Petri incipiat eſſe Arianus, ut Liberius Papa, ſuo q-dem malo id fecerit: dum tamen Eccleſias Dei, & ſanctorum ſepul chra ornat, Presbyteros, Diaco-nos, & Epiſcopos ordinat, quę o-mnia fecit Liberius, non ſolùm ha bet claues, uerùm etiam ritè eis uti tur, etiamſi ipſe in opinione hære-tica moriatur. Et ſi ſuppliciorum

terro-

terrore commotus atq; deterri-
tus, incipiat immolare idolis, ut fe
cit Marcellinus, aut negare Chri-
ſtum, ut fecit Petrus ipſe, ſi tamē
ſtatim amaro lachrymarum im-
bre peccatorum ſuorum maculas
eluat, & per pœnitentiam conuer-
ſus ad Chriſtum confirmet fratres
ſuos in Fide Chriſtiana, iuxta præ-
ceptum Chriſti apud Euangeliſtā
Lucam, & exempla Petri Apoſto
li & Marcellini Papæ, iam neque
Chriſtus ipſe, neq; Eccleſia Chri-
ſti, iudicat eum dignum, cui adimā
tur claues. Hæc non ſolùm autho-
ritate Platinæ, uerùm etiam Euan
geliſtarum, præſertim Lucæ ſunt
ueriſſima & manifeſtiſſima. Atq;
hac ratione ſatis refutatur inſidio
ſum mēdacium lupi, quo ait, Cla-
ues nō eſſe datas Liberio Ariano,
aut

aut Marcellino idololatræ. Non
dabātur quidem Liberio, eo quod
eſſet Arianus: neq; enim talis erat
cùm ei darentur: ſed cùm prolap-
ſus in hæreſim Arianam, tamen ri
tè clauibus uteretur, nō ſunt ei ad-
emptæ: haud ſecùs ac ſi quis Con
ſul huius ciuitatis Embricę, accep
tis eiuſdē hui⁹ ciuitatis clauib⁹ ab
Illuſtriſſimo Principe Cliuenſi, ci
uitatis domino, ut fungatur Con
ſulatu, eò demētiæ prolabatur, ut
fidē habeat homini maledico &
cōtumelioſo in Illuſtriſſimū Prin
cipē, dicēti, hūc nō eſſe de familia
ſiue ſanguine Cliuicorū Principū,
ſed aliquem degenerem, quemad
modum Liberius Papa fidem ha-
buit Ario dicēti, filium Dei non eſ
ſe eiuſdem ſubſtantiæ cū Deo Pa-
tre, neq; huic ulla ex parte ęqualē,
ſed

ſed creaturam,&c. talis Conſul eſſet planè indignus eo magiſtratu: quemadmodum Liberius, & multi præter hunc Pontifices erant indigni Pontificatu: eſſet tamen nihilò minus Conſul, donec indignatus Illuſtriſſimus Princeps adēptas illi claues daret alteri. Quod ſi quis ex ciuibus priuatis aut plebe, quantumuis alioqui prudens ac probus habitus, inſurgat aduerſus talem Conſulem, eripiens illi claues,& ſeipſum cōſtituens Conſulem,hic adeò non faciet rem gratam Principi, ut etiam iram eius & grauem uindictam ſit prouocaturus in ſeſe. Si quid enim uir ille ex plebe animaduertiſſet in Conſule, quod eſſet coniunctum cum iniuria Principis,aut periculo ciuitatis, referendū erat ad Senatum ciuita

ciuitatis : ac deinceps ad ipſum Principem . Princeps autem iam ſciens, quid ſit in illo tam impro- bo Conſule, ſi uelit ad tempus cõ niuere ad illi⁹ peccata, uel quò ma nifeſtior fiat omnibus iuſticia ipſi us Principis, cùm cœperit talẽ pu- nire: uel, ut interea dum illum ſi- nit regere, exploret ſuorum ciui- um erga ſe fidem & conſtantiam: & eos qui fideliter adhæſerũt ſibi, ſuo tempore, cùm iam probati fu erint, collaudatos, beneficijsq́; di- tatos in ciuitate conſeruet : leues autem illos, & ſtultitiam maliti- am'ue Cõſulis imitatos, unà cum ipſo Conſule foras è ciuitate pro- fliget, omnibus iam intelligenti- bus & probantibus Illuſtriſſimi Principis tum prudentem cuncta tionem, donec peccata omniũ de-

tegerẽtur, tum ſeueram & iuſtam animaduerſiõem in eos, quorum ſcelera iam eſſent omnibus patefacta, in hoc nemo poſſet iure reprehendere Principẽ, neq; ullum ius haberet tumultum excitandi, aut moliendi quicquam amplius aduerſus malum illum Cõſulem, quem ipſe Princeps iam ſciens ac prudens tolerat, idq; ſuo conſilio ſapientiſſimo: quod nihil opus habet mihi meiq; ſimilibus hominibus plebeis aperire. Ipſe Princeps nouit rationes conſeruandi ciuitatem ſuam, etiamſi Conſul qui claues habet, proditionem meditetur: quia nõ ignorat iam ſceleratum animum Conſulis. Ad eundem modũ per omĩa habet in Ecclesia, dum Deus permittit homines malos in ea regere; id q̊d mul

to etiã tutius eſt Deo permittere, quam Principi homini: ꝙ homo Princeps quantumuis cautus, tamen ſæpè decipitur. Deus autem ubiq; præſens intuetur ipſe om̃ia, nouit omnia, poteſt omnia, ut nemo queat hũc circumuenire ac decipere. Quid ait lupus? Nõ dat Deus claues Liberio, Marcellino, aut his ſimilibus hominib⁹ malis? Cur ergo fecit Iudã Apoſtolum, quẽ præſciuit eſſe furem, atque ſe, hoc eſt, ipſum Chriſtum, ab illo prodi tum iri? An igitur claues dantur ſolis fidelibus ſeruis Chriſti, & nonnunquã etiã ſeruis Antichriſti? Opinor, uiri fratres, me huius quoq; laquei nodum, quẽ ex Lyrano, Liberio, Marcellino, atq; id genus filis nexuit lupus ad irretiẽdũ agnos ſimplices & imperitos, ſatis diſſoluiſſe.

Videtur etiam ille diſſoluēdus eſſe laqueus,quem lupus imprudē tibus iniicit, dum altùm ululat ad uerſus quendam uirum doctum, quod dixerit, Oportere Eccleſiā ipſam certam eſſe, uiſibilem ſcilicet, & ſenſibus ipſis corporeis per ſpectam,non minus quā ſunt aliȩ humanæ Reſpub. Authoritatem etiam miniſtrorum & gubernatorum eius,certam & manifeſtam eſſe debere. Ideóq; nec gratiam,nec certè interiorem aliquam uirtutem occultam requirendam eſſe uel in mēbris, uel in miniſtris eius præter publicam & legitimam profeſſionem Fidei, & uocationem, ut ad eam pertineant: & ūt eius munera integra perficiant. Hȩc perſuadere uult agnis,ſumma cū impietate eſſe dicta, ac repugnare

nare articulo Fidei, qui habet, Credo ſanctam Eccleſiam catholicã, non autem uideo & ſentio Eccleſiam catholicam. Videtis, uiri fratres, nodum laquei. Sed non erit tanti laboris hunc diſſoluere, quãti illum quem diſſoluimus proximè. Nam in ſumma cõcordia hæc duo pariter conſiſtunt: Video ſanctam Eccleſiam catholicã in his, qui peda Paſtoralia, mitras Epiſcopales, & cætera quæ ad illum ordinem pertinent, geſtant, ut Paſtores gregis Dominici: unanimiter unam Fidem docent, & Sacramẽta populo eadem & eodẽ ritu miniſtrãt: & in his qui ſceptra regia gladiosq́;, & quicquid huius eſt armaturæ, ad coërcendum malos, & conſeruandum bonos: atque ſub utriſq; populum ut ab ipſis paſca-

tur & gubernetur conſtitutum:in his,inquam,uideo ſanctam Eccleſiam Dei Catholicam: Atq; eandē Eccleſiam in his ipſis eſſe credo, ſide mihi facta per uerbū Dei, quo tam multis locis Deus talibus curam gregis ſui commendauit: ipſi autem gregi, ut uocem illorū audiat, & quę pręceperint faciat. Hęc quòd Deus per uerbum ſuum clariſſimè ſit elocutus, credo eſſe ueriſſima, & hanc eſſe ipſiſſimam Eccleſiā Dei, in qua hos ordines, q̊s Deus per uerbum ſuum ſic inſtituit, tam clarè cōſpicio, maximè uerò in qua Fidei unitatem, Doctrinæ concordiam, Sacramenta Dei, & horum legitimum uſum. In his atque huiuſmodi notis uideo Eccleſiam oculis, auribus audio, & ſpiritu credo. Quid hic eſt incom-

modi?

modi? quid prohibet hæc non ſo lùm conſiſtere ſimul, uerùm etiam mutuò ſe iuuare? Quis enim non libẽtẽr credat, illam eſſe uerè Dei ſanctam Eccleſiam Catholicam, in qua tam manifeſtè uidet uel Politiam illam, quam Deus in ſua ciuitate, uel Oeconomiam, quam in ſua domo (nam utrunque Eccleſia dicitur, ciuitas & domus Dei, & multa præterea) tam pulchrè inſtituit? Rurſus quis non magna cum uoluptate faciem eius intueatur aſſiduè, adeóque dulciſſimis amplexibus, oſculis, obſequijs & ueneratione ſumma complectatur eam, quam piè credit eſſe matrem ſuam ſpiritualem: ex qua renatus ſit Filius Dei? cùm antea natus eſſet ex carnali matre filius iræ? Viden' quàm pulchrè

ſimul conſiſtant, uidere & ſentire Eccleſiam, & credere Eccleſiam? Quo iure, aut qua ratione mandaret nobis Chriſtus, ut peccatū fratris in nos peccantis, neq; noſtram ipſorum, neque unius alteriusq; amici correptionem admittentis, dicamus Eccleſiæ, ſi hæc nulla ratione eſſet nobis uiſibilis? Verùm de his iam adeò multa ſunt à uiris doctiſſimis, etiam noſtra hac ætate ſcripta, ut planè ſuperuacaneum ſit me diutiùs eis immorari. Manifeſtæ ſunt parabolæ de agro habẽte zizania, mixta bono ſemini uſque ad tẽpus meſſis: de ſagena ex omni genere piſcium congregante, donec pertrahatur in littus: de decem uirginibus, in quibus fatuæ ſapientibus ſunt admixtæ, uſq; ad aduentum ſponſi. Quibus omnibus

bus docemur, Eccleſiam in his ter
ris adhuc militantem ſemper ha-
bere, etiam in om̄ibus Ordinibus
ac Statibus hominū, bonos & ma
los: ſeruandos atq; damnandos: at
que illis partibus quibus iam dixi,
nempè Politiæ quam Deus in ea
conſtituit, Sacramētorum, &c. no
bis utiq; uiſibilem eſſe, idq́; neceſ-
ſariò, ne ab ea aberremus. Nam
hoc ſemper eſſe initium aberran-
di ab Eccleſia, ꝙ illa Politia neq;
attenditur, neq; agnoſcitur, ſuprà
ex Diuo Cypriano clariſſimè de-
monſtraui. Hac autem parte, qua
alij in ea ſeruandi ſunt, alij foras
eijciendi atq; perdendi, neque ab
omnibus nobis uideri poteſt, ne-
que hoc nobis omnibus neceſſari
um eſt. Solus Deus hac parte per
fectè uidet eam. His rationibus
 puto

puto laqueum illum, quem nobis lupus inijcere aggreſſus eſt de uiſibili aut inuiſibili Eccleſia, ſatis eſſe diſſolutum atq; contritum.

Iam quid ego hîc perſequar diſſoluere laqueos illos, quos tendit imperitis, rudibus, atque ſimplicibus, ut abducat ab illis, quæ ſunt in Cōcilijs Oecumenicis decreta? De his non erat mihi animus in hoc opuſculo dicere plura, quàm ſuprà dixi, niſi interea dum hæc ſcribo, incidiſſem in librum, quem dictante lupo, ſuperiori anno ſcripſit ac ẻdidt in publicum Ioannes Brentius aduerſus Petrum à Soto: in quo etiam ea ſunt, quæ hactenus refutaui: quo libro neſcio quid poſſit imperito lectori perniciosiùs legendum proponi. Tantis dolis torquet Scripturas, non modò

modò Canonicas ueteris ac noui Teſtamenti, uerùm etiam ſacrorum Interpretum, ut nuſquam nõ inuertat in ſentẽtias ex diametro cum illorum qui ſcripſerunt ſententijs pugnantes: id quod quiuis apertiſſimè uidere poteſt, ſi adhibeat noſtras haſce refutationes. Multis modis Cõcilijs adimit authoritatem: ea præſertim ratione, quòd ferè ſemper uariæ contentiones in ea conſueuerint incidere: quas etiam à Gregorio Nazianzeno, & Baſilio Magno reprehenſas ſcribit: à quibus nec Apoſtolorum Concilia fuiſſe libera indicat: ſed ipſos etiam Apoſtolos humanum quiddam hîc eſſe paſſos, ut Petrum & Barnabam cùm ſubducerent ſe non ſine offendiculo, ut ſcribit Paulus Gal. 2.

Mirum

Mirum eſt, quod nõ addiderit etiam diſſentionem, quæ fuit inter Paulum & Barnabam: de qua Lucas Act. 15. adeò ut Paulus aſſumpto Sila, Barnabas autẽ Marco, ab inuicem diſceſſerint. Hæc quò plura in Apoſtolis oſtẽduntur, eò magis confirmantur decreta œcumenicorum Conciliorum. Nam ſi hæc non potuerũt efficere in Apoſtolis, quo minus horũ Doctrina atq; decreta inuiolabiliter ſeruentur in Eccleſia, qua ratione efficient in illis Epiſcopis ac Patribus, Apoſtolorum ſucceſſoribus, quo minus inuiolabiliter ſeruari debeant ea, quæ hi tanto etiam maiori numero, in eodem nomine ac ſpiritu, quo Apoſtoli cõgregati unanimiter, pro Catholica Eccleſia, Orthodoxa Fide, ac diſciplina publica

blica decreuerunt? Atq; huiuſmodi decretorum quiuis etiam ſutor ac pellio ſibi cenſuram ſumet, & pro ſuo arbitrio uel probabit, uel improbabit, confirmabit aut reſcindet? Hoc ſi recipiatur, quorſum tunc opus erit tam inæſtimabilibus ſumptibus & impenſis cõuocare Concilia, quibus non alia erit authoritas? & ubi unquã inuenietur ratio conciliandi pacem in Eccleſia, conciliatamq; retinẽdi? Sed quia lupus nihil odit grauiùs, quàm publicam Eccleſiæ pacem: quòd ipſe hoc ueluti muro excluditur à ciuitate Dei; hoc pariete ab ouili Chriſti, hac ſepe maceriaque à uinea Domini, idcirco nihil intẽtatum relinquit, quo murum hunc diſſipet, ac diſſipatum prohibeat inſtaurari. Huius rei cauſa

Prin-

Princeps ille tenebrarum excitat ſuos ſecretarios & ſcribas, qui tam famoſis ac ſeditioſis libellis, ſummis Pontificibus, cęterisq́ue Epiſcopis, & Eccleſiarum rectoribus, Theologorum etiam ſcholis, nec non ex toto Chriſtiano orbe conuocatis Conciliis authoritatem ſuam derogent. Nam horum authoritate luxata atque conuulſa, minimè ignorat quanta ſit conſecutura confuſio rerum humanarũ omnium. Si Pontificẽ recuſamus (inquit ſanctus ille Epiſcop9 Roffenſis) ſi Concilia contemnimus nõ particularia ſolùm, ſed etiam ipſa plenaria, quid iam reliquũ eſt, niſi ut is præualeat, qui loquacior fuerit, & contẽtioſior, atque temerarius magis: quemq́ue non pudet mendacia pro uerißimis au

dacter

dacter aſſerere: modò poſſit ut-
cunque mendacium ſuum fucare
uel contortis Scripturis, uel argu-
tijs uerisſimilibus, uel (ut cætera
deſint) conuitijs & probris in con-
tra nitentes acerbiſſimè iaculatis.
Hoc ſtatim in horum diſſidiorum
initio ſcripſit ille Epiſcopus: & q̃
uerè ſcripſerit, res ipſa nos inte-
rea doceret egregiè, niſi eſſemus
non modò quouis Philonide in-
dociliores, uerùm etiam adaman-
te duriores. Porrò quod ſuo mo-
re nobis exprobrat hoſtis multa
Concilia fœdè etiam erraſſe, adeò
ut eorum decreta per alia Conci-
lia ſint reciſſa, hoc nemo negat:
cuius rei rationes euidentiſſimas
reddit idem Epiſcopus Roffen-
ſis: nempè quod nõ fuerint illa iu-
ſtè legitimeq; cõuocata & habita

Con-

Concilia : quale fuit Donatiſtaꝝ in Africa, Ariminenſe in Italia, Conſtantinopolitanum in Thracia, contra Sanctorum imagines: item illud à Stephano Sexto contra prædeceſſorem ſuum Formoſum. Hęc ut non fuerunt legitimè conuocata & habita, ita decreta eorum nũquam ſunt ab Eccleſia recepta & approbata : ſed per alia Concilia iuſtè conuocata damnata. An igitur ex his æſtimabimus Concilia uniuerſa? Quænam huius tam iniquæ ſentẽtiæ ratio eſt? Quanto iuſtior eſt, uerior, & ad publicam pacem atq; ſalutem totius generis humani utilior ſententia Roffenſis Epiſcopi: quę eſt, quòd illi Concilio, quod à ſummo Pontifice ita conuocatum fuerit, ut nemo illorum de induſtria ſit prætéritus,

ritus,

ritus, quorum officiũ eſt Cõciliјs intereſſe : & in quo per charitatẽ unanimi conſenſu inter Summũ Pontificem, & cõuocatos Patres conuenerit, habenda ſit fides ab omnibus hominib⁹: & quæcunq; illi ſic conuocati ad Fidẽ pertinentia decreuerint, ea ſint obſeruanda. Quod ſi hæc decreta etiã multorum ſeculorũ periodis, conſenſu totius Eccleſiæ recepta, & uſu confirmata ſint, iam ne ferendum eſt, ut unus aliquis homo, ignotus hactenus, nulla re bona commendatus: ſed multis etiam & enormibus flagitijs iam recens innoteſcens, ſua audacia, conuitiandiq; & omnes infamandi libidine percitus, ea conuellat : ac ſeſe cenſorem totius orbis conſtituat? Te nunc appello Brenti : dic mihi in-

genuè, quid tibi de hoc uidetur? Non tam mihi tecum nũc res eſt, quàm cum illo, qui te decepit atq; ſeduxit, lupo. Hunc ergo his argumentorum telis oppugno: hũc ego à te miſero depellere inſtituo: ex huius immani rictu, ſæuiſſimis'q; dẽtibus eripere te ſtudeo. Non tibi ſum hoſtis, Brenti, ne quid hîc erres, neq; cuiquam illorum, quos ille crudeliſſimus prędo, miſerè deceptos atque ſeductos, ſuæ patriæ ciuitati Dei, ſuo Patri Deo, ipſi ſuæ matri Eccleſiæ Catholicæ eripuit, auexit, teterrimis carceribus & immanibus uinculis incluſos detinet. Huic prædoni ſum hoſtis: aduerſus hunc mihi bellum eſt pro ueſtra ſalute. Ab iſta tam dira tetraq́e captiuitate, ab iſta tam immani

beſtia uos reuocare ac recuperare ſtudeo. Neque prorſus diffido, quin gratia & auxilio illius, qui uires dedit Dauidi puero, ut captum arietem eriperet ex ore leonis & urſi, te Brenti cum alijs multis ſim ereptur⁹ immaniſſime iſti feræ, niſi uos ipſi malitis eſſe miſera præda cruentæ beſtiæ, quā beata poſſeſſio Domini omnium optimi Ieſu Chriſti. Non ignoras, Brenti, quid acciderit ſocijs Vlyſſis, qui cùm de poculis Circes ſtulti cupidiq; bibiſſent, ſtatim mutati ſunt in uarias brutorum formas, ut alius fieret canis immundus, alius amica luto ſus: Nonnulli etiam in lupos cōuerſi feruntur. Horum tam miſerum caſum cùm optimus, diligētiſſimus, atque ſapientiſſimus

Princeps eorum Vlyſſes miſeratus, recuperare perditosq́ ſtuderet, incidit in unum illorum nomine Gryllum, ut ſcribit Plutarchus, quem illa uenefica uenenato poculo dato transformarat in porcum. Hunc cùm Vlyſſes ſtuderet huc inducere, ut ex illa tam fœda atq; immūda pecude ſineret ſe reformari in hominē, atq; reduci ad ſuos, ille noluit neq; in formam, neq; in ſocietatē hominū redire, ſed inſtituta diſputatiōe aduerſus Vlyſſem, cœpit multis congeſtis maledictis uitam genusq́; humanum reprehendere, longeq́; præferre illam, in qua iam erat, porcinam, quantumuis impuram, lutoſam, ſpurcam, atque obſcœnam. Non'ne per omnia ſimile quiddam uidemus in te tuisq́; ſocijs

cijs Brentij? Quid non per hoſce iam quadraginta annos, ex quo Lutherus uobis illud uenenatum poculum propinauit, tentarunt illi duo laudatiſſimi Principes, Carolus Quintus Imperator, & huius Frater Rex Ferdinandus, per tot Comitia conuentusqúe Imperij, adhibitis ad hoc ſemper ſummis doctrina ac dignitate uiris, ut uos è ſtabulis ac haris, nec non fœtidis caueis illius execrandæ Circes, inter porcos grunnientes, inter lupos ululantes, inter uulpes gannientes, ex pecudibus ferisq́; quas in delicijs habet ille tenebrarum princeps Diabolus, reformatos in filios Dei, reducerent in beatiſſimam domum Patris noſtri Cœleſtis, in gremium dulciſſimæ ma-

tris noſtræ, quæ eſt Eccleſia, ſpon ſa Chriſti Domini noſtri? Sed uos ſemper more illius Grylli, ſeditiſoſis, non tã diſputationibus, quã conuitĳs ueſtris eſtis reluctati. Quin etiã haras, caueas, & carceres non parum auxiſtis illorũ numero, qui more uulgi rei nouitate excitati, ſpectatum iſtuc accurrerunt: dum illis perſuaſiſtis, ut de eodem poculo biberent. Neq; enim oẽs erant Vlyſſes, argenteo illo ingentiq; enſe & arcu armati, & antidoto moly præmuniti, ut uel intrepidè tutoq; domum uenefice poſſent intrare, uel etiam ſine periculo de poculo uenenato bibere. Quamobrem illi ſapuerunt, qui ſuę infirmitatis ſibi conſcĳ, imitati ſunt Eurylochum illum Homericum, & apud claſſem

regiam,

regiam, hoc eſt, Eccleſiam Ca-
tholicam, remanere maluerunt,
quàm nouam iſtam ueſtram col-
luuiem ſpectando, gryphos ue-
ſtros audiendo, famoſos iſtos li-
bros legendo, tanto periculo ſeſe
exponere. Porrò tametſi non eſt
uirium humanarum, eis qui in ta-
les feras pecudesq́; ſunt transfor-
mati reſtituere faciem huma-
nam: neq; deſipuit Paulus Apo-
ſtolus Tito Epiſcopo mandans,
ut hæreticum hominem poſt u-
nam & ſecundam correptionem
deuitaret, ſciens quia ſubuerſus
eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit,
cùm ſit ſuo ipſius iudicio cõdem-
natus: nec imprudẽter cõſuluit Si
ſini9 Nectario Epiſcopo ac Theo
doſio Imperatori: & multis ratio
nibus in libro de Pręſcriptiõibus

hæreticorum demonſtrauit Ter-
tullianus, fruſtra cũ hæreticis diſ-
putationes ſuſcipi, ꝗ quãtumuis
manifeſtis Scripturis & rationi-
bus uicti, cedere tamen nolint: &
uos iã toties nõ ſolùm admoniti
correptiq́;, uerùm etiã euidentiſſi
mis Scripturis ac rationibus con-
uicti, nunq̃ tamen uoluiſtis erro
res ueſtros agnoſcere, & ad matrẽ
hanc noſtrã, quę tam longè abeſt
ab omni errore, ut etiã colũna ſit
& firmamentum ueritatis, redire:
nos tamen interea nõ ſinit requi-
eſcere charitas, qua complecti-
mur uniuerſos fratres noſtros, nõ
ſolùm hos, qui adhuc nobiſcum
uerſantur in domo paterna, uerũ
etiam uos, quos hoſtis nobis ere-
ptos in iſtis tam tetris carceribus
ac diris uinculis conſtrictos, in
haris

haris porcorum, & caueis ferarũ concluſos detinet,quo minus(fuſis ad Patrem noſtrum Deum pre cibus pro ueſtra conuerſione atq; ſalute,& ad uos ipſos aſſiduis admonitionibus factis non ſine obteſtatione, ut tandem aliquando ueſtræ captiuitatis infelicitatem agnoſcentes, uelitis redire ad felicitatem noſtram) ſtudeamus uos omnes, ſi ſit poſſibile, reuocare,& recuperare, ut ab iſtius crudeliſſimi tyranni tam dura ſeruitute liberati, nobiſcum in hac dulciſſima libertate, pro iſtis porcorum ſiliquis menſa domoq; paterna fruamini, hîc quidem in Sacramentorum myſterijs tanquam in ænigmate per Fidem: poſt hac autem in illa patria Cœleſti facie ad faciem, per ueriſſimum be-

atiſſimumq́; ſenſum in manife-
ſto. Quamobrem ô mei in Chri-
ſto Ieſu Domino noſtro mei cha
riſſimi fratres, cũ uobis in agno il
lo lupoq́; Aeſopico, & in presby
tero illo Ariano, qui Conſtantiã
Reginam, & Imperatorem Con
ſtantinum decepit, Conſtantium
autem ex Imperatore tanquàm
ariete gregis in ſæuiſſimũ lupum
transformauit, haud obſcurius q̃
in duabus tabulis depictis imagi-
nibus demõſtrauerim inſidias ho
ſtis: cùm in illo qui uos ſeduxit
Martino Luthero, tam manife-
ſtè atque enormiter flagitioſam
uitam: Doctrinam autem mul-
tis modis peſtilentiſſimam oſten-
derim: quum luculentiſſimis,
irrefutabilibusq́; ac indiſſolubili-
bus Scripturis & argumentis do-
cue-

cuerim, in Eccleſia Dei ſemper fuiſſe, eſſe, & ad conſummatio-nem uſque huius mundi perman-ſuram eſſe, (ſiue Politiam ci-uitatis hanc, ſiue Oeconomiam domus Dei appellare placet) ordinationem quandam, præ-ſertim quantum ad Religionis negotia pertinet: atque hanc ipſam ab ipſo Deo ſic erectam, conſtitutamq́;, ut is eam nulla ra-tione uiolari uelit, qualeſcunque etiam ſint illi q in ea præſunt. Et in hac ipſa Oeconomia ſemper u-num fuiſſe, & eſſe ſupremum Oe-conomum, ad quem tota fa-milia rationes functionum ſua-rum referat, quotieſcunque dif-ficilis aliquid quæſtiõis inciderit, ne uidelicet pax & concordia fa-miliȩ diſturbetur: in his aũt ſectis,

in quas tam miſerè diſtractum ui-
demus mundum hac noſtra tem-
peſtate, præſertim uerò dulciſſi-
mam patriam noſtram Germa-
niam, nec adhuc ullum inueniri
poſſit caput, quod uniuerſa mul-
titudo, etiam unius ſectæ uelit a-
gnoſcere & ſequi: adeò, ut ſæpè
uideamus nõ modò in una aliqua
unius Principis ditione, in una ali
qua ciuitate, in uno pago: uerùm
etiã in una domo, ferè tot ſectas,
ſiue de Fide ac Religione ſenten
tias, quot homines. Neq;, ſi maxi
mè illi fortè aliquando caput ali-
quod poſſent conſtituere ſuæ ſe-
ctæ, hoc tamen ad ullum legi-
timum principium referre poſ-
ſent. Atq; interea nos ita diſtra-
ctos hoſtis, cum ſpectaculo, ſuis
qdem ſanguinarijs oculis dulciſſi
mo

mo gratiſſimoq́;, nobis aũt acer-
biſſimo ac funeſtiſſimo in mutua
uulnera cõmittit: hæc inquã om-
nia cùm uideamus palã, atq; tan-
to cũ dolore ſentiamus, quid eſt,
obſecro, quod quenquã in ulla ſe-
cta diuti9 retinere debeat aut poſ
ſit, quò minus illa tanquã muliere
peſſima & extranea, ut inquit Sa
lomon, relicta, redeat ad domum
Patris optimi, & gremiũ dulciſſi-
mæ matris? Hæc enim eſt, quæ ge-
mino ubere nobis lac illud Cœle-
ſtis doctrinæ puriſſimum præ-
bet: quo ſalubriter nutriti adole-
ſcimus, & excreſcimus paulatim
in uiros perfectos, atq; adeò in
Deos, quippe ex Deo nati, ac tan
quam generoſi filij, ſimiles Patri
noſtro. Illa aũt uenefica Circe ſub
lactis mellisq́; ſpecie propinat ue
nenum

nenum, quod qui per imprudentiam imbibunt, ſubitò transformantur in pecudes & feras: ut uerè dixerit Eraſmus: Qui ſe ſectis illis addixerunt, exuunt prorſus hominem. Neq; uerò uos à reditu ad hanc Patris noſtri domum deterreat, quòd non omnes qui in ea uerſantur æquè niteant morum puritate. Domus eſt ditiſſimi patrisfamiliâs, imò Regia Regis omnium potentiſſimi. An neſcitis, quod iuxta uerbum Apoſto-
1. *Tim.* 2. li, in magna domo non ſolũ ſunt uaſa aurea & argentea: ſed & lignea & fictilia, & quædam quidẽ in honorem: quædam autem in cõtumeliam? Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit uas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

ratum. Quē igitur offendit non-
nullorum impuritas, ille ſemetip-
ſum emūdet, ut ſit purus & utilis
Domino: & ſinat Dominum pro
ſuo arbitrio ad ea quæ ipſe uult
uti illis impuris. An nō uidem⁹ in
Regĳs & Aulis magnorū Regū
ac Principū non ſolùm Conſilia-
rios & Satrapas, uerùm etiā licto
res & carnifices? Ac ne hoc quidē
deterreat à reditu, ſi fortè domus
Oeconom⁹ incipiat eſſe talis, qua
lem fieri poſſe Dominus indicat
apud Lucam & Matthæum; hoc *Lucæ 12.*
eſt, percutere ſeruos & ancillas, & *Math. 24*
edere, & bibere, & inebriari. Ve-
niet enim Dominus hora, qua
non expectat hoc talis Oecono-
mus, & diuidet eū, &c. Et multò
melius eſt tale aliqd pati in domo
Domini ſub iniuſto Oeconomo,
imò

imò in domò paterna tanquàm filium ſub iniquò pædagogo, quã in haris Circes uirgis ac fuſtibus uapulare tanquàm porcum: aut etiam in ſpelunca lupi tanquam agnum ab ouili abductum, reſeruari ad lanienam. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, inquit rex
Pſalm.83. & Propheta Dauid, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Videmus planè horribilem rerum omniũ faciem. Nuſquam pax, nuſquam fides. Bellis tumultuantur etiam illi, qui debebant omnibus eſſe authores pacis. Quã multa grauiſſimorum morborũ genera ubiq;? quanta in omnibus locis fames? q̃ omnia plena Pſeudoprophetis? In q̃ paucis uidem⁹ adhuc qualemcunq; fauillã charitatis Chriſtianæ? Et tamen Dñs
noſter

noſter Ieſus Chriſtus nõ uult nos his turbari. Videte, inqt, ne turbemini. Oportet enim omnia hæc fieri: ſed nondũ eſt finis. Quod ſi illi uideantur nolle pacẽ, qui debebant nobis conficere pacẽ, conficiamus nos ipſi pacẽ. Quánam id ratione? Expeditiſſima ad id ratio eſt, uiri ac fratres in Domino chariſſimi, ſi uelimus eam agnoſcere. Non eſt obſcurum, quid iam à mille quingentis, & eo amplius annis crediderit Eccleſia de omnibus etiam his, quæ noſtra hac tẽpeſtate uocata ſunt in controuerſias. De his itaq; nunc demum uelle ſcrutari Scripturas, & an ex his queant probari curioſiùs inquirere, furor eſt, teſte ad Ianuariũ Auguſtino. Deponamus hunc furorem, & iuxta præceptũ Matth. 24

 Salo-

Salomonis non deſpiciamus le-
gem matris, & exemplo Apoſt.
Pauli, ſemel receptã, atq; tot ſecu
lis iam uſurpatam Eccleſiæ Fidẽ,
& in cultu Dei conſuetudinem re
tineamus, & ſine ulla difficultate
ultrò redibit nobis in Fide & Re
ligione pax & concordia. Si quid
ſuperſtitiõis fuit in ſtolida plebe,
quantum ad uſum cæremoniarũ
attinet, quale eſt de inordinato
cultu imaginũ in pleriſq; locis, id
nullius difficultatis eſt per ſapien-
tiam Epiſcoporum, & prudentiã
Paſtorum corrigi: ut nõ ſit opus
propterea imagines exturbare:
quæ certè magna cũ utilitate ple-
bis indoctæ poſſunt haberi, ſi mo
dò Paſtores non negligant per
occaſiones admonere duntaxat,
quis earum ſit uerus atq; legiti-
mus

mus uſus. Rectè dici conſueuit, imagines eſſe laicorum libros. Quid alijs accidat neſcio: mihi certè nõ rarò accidit, ut aſpectus imaginis alicuius martyris, mihi non ſolùm dulcem, uerùm etiam utilem memoriam renouet, quanta illi ſint paſſi pro Fide ac nomine Chriſti: ut ego diſcã labores, afflictiones, & ſi ſit opus, contumelias pro illius nomine ferre. Neq; huic rei quicquam aduerſatur, q̃d in Exodo præceptũ eſt: Non facies tibi ſculptile, &c. Hoc enim totum, nõ de imagine Crucifixi, uirginis Matris, aut ullius ſancti, uerùm de Deorum gentilium imaginibus intelligendum eſſe locus ipſe manifeſtiſſimè indicat. Præcedit enim, Non habebis Deos alienos coram me. *Exod. 20.*

Deinde continuò ſequitur, Non facies tibi ſculptile; neq; omnem ſimilitudinẽ, quę eſt in Cœlo deſuper (qualia ſunt Mars, Mercurius, Iupiter, &c. quos tanquàm Deos Cœleſtes colebant gentes) neq; in terra deorſum (quales Faunus, Dryades, atq; Apis ille Aegyptiorum Deus: ad cui⁹ ſimilitudinem illi uitulum illum conflarunt, dicentes, hũc eſſe illum Deum, quo duce ex Aegypto eſſent profecti) nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra (qualem illi fingebant Neptunum, Tethydem, Portumnum, Protea, & cæteros.) De horum imaginibus ibi loquitur Deus ad Moyſen, prohibens eas fieri & adorari. Nam alioqui, ſi ſimpliciter de quibuſuis imaginibus intelligendum eſſet, etiam

ipſius

ipſius Chriſti,atq; ſanctorum, in quibus habitat Chriſtus, & q ſunt membra Chriſti,quomodo poſſe mus defendere,q̊d poſtea in eodē libro, cap. 25. præcepit fieri duos Cherubim aureos, ex utraq; parte oraculi ſeu propitiatorij,& Numerorū 21. ſerpentem æneum: & ex eiuſdem intuitu uitam etiam expectare? Hæc oportebat diſtinguere: alioqui præceptum unum alteri aduerſaretur. Quemadmodum nulla eſt comparatio inter adulterum illum Iouem, quē ſtulta gētilitas pro Deo colebat, atq; Dominū ac Deum noſtrū Ieſum Chriſtū: ita quoq; nulla eſt comparatio imaginis Iouis, & imaginis Ieſu Chriſti.Et quemadmodum impiū fuerit Epheſiā illāDianam æquare ſanctiſſimæ uirgini

Mariæ, matri Domini Ieſu Chri-
ſti: ita certè eiuſdē impietatis fue-
rit, nullum facere diſcrimen inter
huius & illius imaginē. Tametſi
ſuperſtitioſum illū cultum, quo
delirantes mulieres maximè cer-
tas quaſdam habent imagines ali
quorum Sanctorum, quas putāt
plus poſſe quàm cæteras, eorun-
dem etiam Sāctorum, nequaquā
probo. Neq; hunc unquam pro-
bauit Eccleſia: cuius ſententia cla
riſſimis uerbis expreſſa eſt in De
cretis de Conſecrat. diſt. 3. ubi le-
gitur Gregorium ſcripſiſſe ad Se-
renum Epiſcopū Maſſilienſem:
Perlatū ad nos fuerat, inquit, ꝙ
inconſiderato zelo ſuccenſus San
ctorum imagines ſub hac quaſi
excuſatiōe, ne adorari debuiſſent,
confregeris. Et quidem eas adora
ri

ri·uetuiſſe,omnino laudamus:fre
giſſe uerò reprehẽdimus. Dic fra-
ter,à quo factũ eſſe Sacerdote ali
quando auditum eſt quod feciſti?
Aliud eſt enim picturã adorare,
aliud per picturæ hiſtoriã quid ſit
adorãdum addiſcere. Nam quod
legentibus Scriptura, hoc & idio
tis præſtat pictura cernẽtibus: qa
in ipſa ignorãtes uident quid ſe-
qui debeant,in ipſa legunt qui li-
teras neſciunt. Vnde & præcipuè
gẽtibus pro lectione pictura eſt.
Et ibidem ex 6. Synodo: Venera
biles imagines Chriſtiani non De
os appellant: neq; ſeruiunt eis ut
dĳs: neq; ſpem ſalutis ponunt in
eis, neq; ab eis expectãt futurũ iu
diciũ: ſed ad memoriã & recorda
tionẽ primitiuorũ uenerant eas et
adorãt:ſed non ſeruiunt eis cultu

 diui-

diuino: nec alicui creaturæ. Ecce, hæc eſt ſententia Eccleſiæ. Aduerſus quam ſi quid homines ſuperſtitioſi delinquunt, dedocēdi ſunt ſuperſtitionem, atq; docendi, quis ſit uerus imaginum uſus. Hic certè deſideratum eſt officiū Epiſcoporum & paſtorum: quemadmodum & in pleriſq; alijs. Nam ego hoc de imaginibus exēpli gratia poſui. Quod ieiuniorū temporibus utimur ciborū delectu, iuxta præſcriptum & conſuetudinē Eccleſię, in hoc etiam ueteres illi, nominatim Ambroſius & Hieronymus, plerorumq; ſuperſtitionem notarunt: & Diuus Bernardus ſæpè laborat in hoc, ut ieiunandi ſuperſtitionē dedoceat ſuos fratres in monaſterio: nemo tamen illorum propterea ciborū delectū in

ieiunijs

ieiunijs,aut ipſa ieiunia tollit:ſed quod uitio hominum in illis diſtortũ ſit, corrigere ſtudẽt. Quòd ſi propterea res per ſe bonæ tollendæ ſint, ne homines ſtulti ac malitioſi malè his abutantur, iam nihil relinquendũ fuerit, neq; Sacramentum ullum, neq; ipſa Scriptura diuina. Nihil enim tam bonum eſt, quo mali nõ abutantur malè: nihil tam ſanctũ, quod homines impij non audeant profanare. Non tamẽ nobis propterea uel deſerenda eſt, uel ſcindẽda Ecclesia. Sacerdotum hactenus nimia fuit turba: eademq; adeò incondita, ut ordo ille omniũ ſacerrimꝰ, & antiquitùs in ſummo honore habitus, paulatim euiluerit. Hoc certè culpa & negligẽtia Epiſcoporum factũ eſt: q neglexerũt

preceptum Apoſtoli, de non faci-
lè cuiuis manus imponendo: neq;
dederunt operam, ut antiqua illa
diſciplina in ordine cõſeruaretur.
Iam uerò tẽporibus noſtris tam
eſt factus odioſus ille ordo: iam
omnes paſſim illum ita execran-
tur, ut illi, qui poſſent in eo eſſe
utiliſſimi, refugiant eum: & ut ui-
deamus eos ex iuuentute, qui plu
rimum ualent ingenijs, quiduis
malle amplecti q̃ Sacerdotium:
atq; adeò illos ipſos q ſunt in Sa-
cerdotio, habitu illo tam profa-
no, ut magis milites quàm Sacer
dotes deceat, nec nõ tota uita ſua
ita ſe gerere, ut manifeſtè decla-
rent, ſui ipſos ordinis etiam pu-
dere. Ex iuuentute autẽ qui ſunt
omnium ignauiſſimi ſceleratiſ-
ſimiqúe, ut à præceptoribus ſuis
neq;

neq; ſciētia, neq; uirtute ad ullum honeſtum uitę genus formari poſſint, his extremum refugiū eſt Sacerdotiū aut Monaſteriū. Atq; hac ratione fit, ut res Eccleſiaſticę indies prolabantur in deteriora. Hoc malū iam ut eſt grauiſſimum omnium, ita noſtra omniū culpa accidit. Epiſcoporum, qui magis cogitare uidentur de ampliando ſuo dominio atque ſplendore, quàm de reſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica, tollendisq́; offendiculis, & grege Dominico ſalubriter paſcendo. Principum, nec non cęterorum in poteſtate conſtitutorum, qui uel Sacerdotia, quorum ipſi ſunt patroni, indignis largiendo, uel collegijs Sacerdotum cæteriſq́; Eccleſijs ac monaſterijs ſua iura non defendendo, imò etiam infrin-

infringendo & eripiendo,& ſine diſcrimine optimos cum peſſimis aſſiduis exactionibus expilan- do,hoc efficiunt, ut neceſſe ſit, ſi ita pergant,ſtatim omnia corru- ere. Populi qui ſine diſcrimine bo nos pariter, ac malos Sacerdotes quibuſcunque rationibus poteſt fraudat & expilat: quin etiam tan quam hoſtes perſequitur & exe- cratur: liberos autẽ ſuos tam per- ditè educat, ut cùm ludimagiſtris eos erudiendos commendant, hi miſeri ſtatim experiantur, nõ ſibi iam rem eſſe cum ingenuis pue- ris, liberalibus artibus, rectisq́; de rebus omnibus diuinis atq; hu manis ſententijs, ad utilitatem Reip. Chriſtianæ erudiendis: ſed cum immaniſſimis feris domãdis: quas opus habeant, nõ ſolùm pla-
gis

gis & uerberibus, uerùm etiã uin culis & carceribus coërcere. Olim ſolebant eos mittere, domi prius ſanctis ad religionẽ Chriſtianam ſentẽtijs excitatos: in timore Dei, in cultu ac ueneratione Dei atq; ſanctorũ eius: in ſancta quadã ambitiõe dignitatis Sacerdotalis, utcunq; iã formatos ac prꝍexercitatos: ꝑterea ad ipſam Sacerdotalẽ grauitatem ac religionẽ ueſtitos. Nunc aũt quales nos accipimus? Principiò ꝑditiſſimis de Deo, ſanctis, atq; omni Religiõe, opinionibus ita repletos, ut iã nulla ſana doctrina locũ in eis inueniat. In illis barbaris, deformibus, & monſtroſis ueſtiũ ſciſſuris, in pileis Turcicis, in ſagis militaribus, attonſis militari more uerticib⁹, horrore etiã barbꝍ in adultioribus, feroci

uultu,

uultu,truculentis oculis, nihil a-
liud uidem⁹, quàm crudelitatem
pluſquam ferinam, impietatem
pluſquam ethnicã Turcicamúe.
Cum huiuſmdi feris nobis ludi-
magiſtris hodie res eſt. Hæ nobis
cicurandæ traduntur. Hæ nõ ſim-
pliciter in homines, uerùm etiam
pios ac religioſos transfigurandę
commendantur. Hoc q̃ ſit facile,
aut etiã poſſibile, ſapientis & ęqui
iudicij uiris expendendum relin-
quo. Dixi de culpa Epiſcoporũ:
de culpa Principum: de culpa po-
puli in educatione dũtaxat. (quæ
tamen nequaquàm de omnibus
intelligi uolo: abſit enim ut om-
nes Epiſcopi, Principes, & qui in
pulo ſunt, ita faciant: ſed q⁹ eheu
nimis multi) Quid aũt de nobis lu
dimagiſtris? Nos ne ſoli extrà cul
pam

parm ſumus? Vtinã eſſemus. Conſideremus principiò externa illa, quæ ſunt in habitu noſtro: nũ ex his ea reluceat grauitas, quã meritò debeat reuereri ac uenerari iuuentus? num ea manſuetudo ac modeſtia ex uultu, ut hinc pueris uideantur emicare radĳ quidã ſpiritus Chriſti? Num ea in docẽdo fides ac diligẽtia, quæ uideatur ad nihil aliud reſpicere, q̃ ut illis areolis agri Dominici, quæ ſingulæ ſingulis noſtrũ fodiendæ, ſubigendę, cõſerendęq́; ſint cõmendatę eo ſtudio quo oportet colamus, illis ſeminibus cõſeramus, quę adulta atq; matura gratiſſimis fructibus Dñm agri exhilarare, atq; granaria eius, aut etiã aromatũ apothecas feliciter ditare queant? Quod ſi nos uel pro uirtutũ tritico loliũ
uitio-

uitiorum,uel pro balſamo ſaluta‑ris doctrinæ cicutam hæreticarũ opinionũ inſeramus, quomodo noſtram agriculturam probabit Dominus agri? Quam putamus mercedem noſtri laboris percipi‑emus? Nihil hîc dico de quorun‑dam liuida æmulatione, ac uiru‑lenta obtrectandi libidine: de cõ‑tentionibus, quæ nonnunquã ad pugnas uſq; excreſcũt, & plerũq; de rebus nullius momenti, quale eſt, Vtrum inuẽtio ad ſolam Dia‑lecticam, an etiam ad Rhetoricã pertineat, &c. quæ adeò non de‑cent noſtram profeſſionem, ut eàm etiam deforment ac fœdent turpiſſimè. Decebat aũt nos ſum‑ma beneuolẽtia, charitate, cõiun‑ctis operis, quin etiã precibus pro nobis inuicẽ q̃tidie ad Deum fuſis

ad

ad impetrandum nobis omnibus ſpiritum uerę ſapientiæ,ueritatis, ac pietatis,unanimiter hoc agere, ut ſi non per alios, ſaltem per hãc iuuentutem,quam docendam ha- bemus,periclitanti Eccleſiæ queat aliquando ſuccurri. In omnibus igitur ordinibus & generibus ho- minum peccatur plurimũ, ut ini- quiſſimum ſit, uelle horum malo- rum cauſas & culpam omnium in unum aliquem ordinem à cæteris omnibus transferre,aut remoue- re: Quod autem ſupereſt uiri ac fra tres in Chriſto Ieſu chariſſimi, ex citemur tandem aliquãdo ex hoc tam profundo ſomno: erigamus caput,aperiamus oculos, & circũ- ſpiciamus, uideamus ubi ſimus: q̃ undiq; cincti hoſtibus innumera- bilibus & crudeliſſimis, qui om̃es

in noſtram perniciem coniurarũt. Imminet ceruicibus noſtris crudeliſſimus Turca. Summi totius orbis Chriſtiani Monarchæ iam per tot annos bellis nimium funeſtis & implacabilibus inter ſe congrediuntur atq; confligunt, adeo, ut ſummus etiã Eccleſiæ Paſtor, qui uel ſolus iram illam placare debebat, in partem uenerit, & gladio feriat. Sectæ ſuperioribus annis excitatæ, indies latius latiusq; ſerpunt, & ferè quotidie nouas procreãt. Interea nemo eorũ, qui adhuc intus ſunt, uel à luxurioſa uita, uel à ſuperbia ſua quicquã remittere ſuſtinet. Itaq; intus & foris om̃ia ſunt plena hoſtibus: omnia preſſuris, anguſtijs, terroribus ac formidine perturbatiſſima. Nulla iam ſpes uſquã apparet alicuius

Concilij conuocandi,quo diſſidia hæc componantur: ut hæc una ſolaq́; ratio ad id reſtare uideatur,ut unuſquisq; noſtrum in ſeſe deſcendat: ſua ipſius uitia & peccata agnoſcat emendetq́;: neque in aliorum uitijs tam cernat acutũ,quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. Non requirat neque expectet noui alicuius Concilij decreta noua, ſuperiorum Conciliorum decretis contraria. Hoc neque prudentis eſt, neq; grauis & conſtantis uiri optare,ne dicã expectare. Hominũ leuium hoc eſt,ſtultorũ, nouitatibus inhiantiũ, ſemper diſcentium,& nunq̃ ad ſciẽtiam ueri peruenientiũ. Reſpiciamus ac recurramus ad ſuperiorum Conciliorũ decreta,ut hæc cõſeruemus, ad hæc tanquam ad regulas quaſdam

Fidem, doctrinam, & actiones no ſtras omnes exigamus & inſtituamus. Reſpiciamus ad illam Politiam, quam Deus ab initio mundi in ſua ciuitate eſſe uoluit: & quã poſtremis hiſce temporibus tum per ipſum unigenitum Filiũ, tum per huius diſcipulos Apoſtolos in ſpiritu ſancto tam aptè diſpoſitã ordinatam'que cõſtituit: ne hanc contra ipſius uoluntatem æternã, & præcepta grauiſſima turbantes, iram eius, & horrendam uindictã in nos prouocemus. Peccata illorum qui cathedras, thronos, ac tri bunalia in hac Repub. obtinent, qui'q; gladium in eadem portant, noſtrorum peccatorum flagella: bella quæ ipſi inter ſe gerunt, noſtrorum diſſidiorum pœnas interpretemur. Viri docti, qui in gratia

ſunt

ſunt apud Principes, aut etiã his à conſilijs ſunt: decepti autem à Pſeudoprophetis, & ipſi à recta uia Fidei ac Religionis exorbitarunt quemadmodum de Conſtantij Imperatoris Eunuchis ab Ariano illo Presbytero deceptis in Hiſtoria Eccleſiaſtica legimus, & Principes ſuos in errorem ſecum abduxerunt, agnito errore in uiam reuertantur, & Principes conſilijs ſanioribus in eandem reducant. Neq; enim hoc dedecus eſt: cùm Paulus Apoſtolus ex hoſte Chriſtum perſequente factus ſit uas electiſſimum, atq; inter ipſos Apoſtolos tanquam ſydus omnium lucidiſſimum. Petrus poſt abnegatum Dominũ factus ſit præco reſurrectionis eiuſdem ac regni Cœleſtis omnium conſtantiſſi-

 mus.

mus. Dauid poſt illos tam graues lapſus reſurrexerit rex & Propheta Domini, omnium qui unquam extiterunt ſanctiſſimus laudatiſſimusq́;, nec non dulciſſimus Pſaltes & Citharœdus in aula Dei. Adeò uerum eſt quod dixit alicubi Diuus Auguſtinus, Deum nunquam permiſſurum ut cadat iuſtus, niſi præſciat illum reſurrecturum meliorem quam fuerit antè. Quamobrem neminem pudeat ab errore reuerti, à lapſu reſurgere: & quę per errorem uel ſcribendo, uel docendo, uel conſulendo peccauit, reuocare & condemnare: quippe cuius rei tam præclara, illuſtria, ac laudatiſſima habemus exempla: ſed in erroribus & peccatis pertinaciter obdurari, nolle reuocantibus ad meliora prębere aurem;

rem: ſed maledictis etiam, conui-
tijs & contumelijs eoſdem à ſe re-
pellere, huius demum pudeat, hoc
abominemur, ab hoc illa horrēda
exempla Coreh, Dathan, & cæte-
rorum deterreant. Quis noſtrum
eſt, qui peccando non ſit imitatus
filium illum prodigum? Atq; af-
flictionum quidem, pœnarum ui-
delicet noſtræ ſtulticiæ, haud pa-
rum iam ſenſimus: ſed multò gra-
uiora ſenſuri, niſi illius exemplo
conuerſi, per ſeriam pœnitentiam
reuertamur ad domum & familiā
Patris. Intus & foris plus nimio
peccatū eſt. Neq; quiſq̄ noſtrū eſt,
quin ſi uitā ſuā ad regulam Legis
diuinæ uelit exigere, tantum in-
uenturus ſit in ſemetipſo, ut non
habeat opus alijs exprobrare ſua.
Errauimus tanq̄ oues ſine paſto-

ribus omnes. Reuertamur itaq;
ultrò ad ouile noſtrum, à quo do-
lis ſuis nos lupus abduxit. Nemo
noſtrum alteri poſt hac ſuos erro-
res exprobret, dummodo is reſi-
piſcat: ſed tanquam peregrè ex ca
ptiuitate reuerſi in patriam ac do-
mum paternam, per charitatem
fraternam, oſculo pacis nos inui-
cem ſalutemus. Si quid in œcono-
mo, ſi quid in cęteris ſeruis, ſi quid
in Paſtoribus gregis deſyderetur,
quod pręſtare nõ ſit uel officiĳ no-
ſtri, uel poteſtatis, deprecemur Do
minum pro eo. Si quis illorum ſu
peratus ab hoſte, coniectus ſit in
uincula peccatorum, quemadmo-
dum olim Petrus ab Herode cap-
tus & uinctus catenis, in carcerem
coniectus fuit, illum nos nequa-
quàm ob captiuitatẽ execremur:
ſed

ſed potius imitemur Eccleſiã, quę tũc erat, ac ſine intermiſſione pro tali oremus Dominum Deum, ut illum è captiuitate ereptũ, nobis liberum ſaluumq́; reſtituat. Neq; uerò obſurduerunt aures Domi-ni, qui minùs tales preces exaudi-at: neq; infirmata eſt dextra eius, quò minus talem eripere poſſit, Aut ego omninò fallor, uiri ac fra tres chariſſimi, aut hæc eſt rectiſſi ma, certiſſima, facilimaq́; ratio re-cuperandi pacem, quæ nullis aut quàm minimis conſtiterit ſumpti bus: cùm ea quæ hactenus tentata ſunt, per ſumptus inæſtimabiles, ac difficultates maximas, nihil profuerint: nimirũ quod obtineri nõ potuerit à partibus, ut unani-miter ſeſe accommodarent Poli-tiæ ciuitatis Dei: qua ſpreta atque

reiecta Deus ipſe ſpernitur atque reijcitur: ſine quo fruſtra tentantur omnia. Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Hæc autem ratio, quam nos hîc propoſuimus, fundamentum habet illam ipſam Politiam & ordinationem Dei, ut uerbo Apoſtoli utar: ideoq; nõ eſt dubium, quin Deum ſit habitura propitium atq; ſecundũ. Huius autẽ auxilio quid non perficiemus? Hoc nobis propitio, quid non ab ipſius ditiſſima & omnipotẽti bonitate impetrabimus? Hoc protegente, quem hoſtem, quantumuis ille ſit potens atq; crudelis formidabimus? Si Deus pro nobis, inquit Apoſtolus, quis contra nos? Ex huius Regis & Imperatoris noſtri caſtris, uiri ac fratres in Chriſto Ieſu chariſſimi, ex huius, inquam,

quam, caſtris, hoſtis noſter Diabolus artibus illis ſuis Satanicis per diſſidia ac ſeditiones nos in uaria diſtraxit atque diſperſit, & in noſmetipſos furore & bellis pluſquã ciuilibus incitauit, ut mutuis uulneribus cadentes iſtius crudeliſſimi infelix ac miſera prȩda efficeremur. Aperiamus oculos, & agnoſcamus impoſturas & inſidias hoſtis, & noſtras haſce tam funeſtas calamitates: & poſito hoc furore, diſſidijsq́; his noſtris compoſitis, unanimiter in caſtra Regis noſtri reuertamur, atque in ſumma concordia ſub huius uexillis, animis armisq́; coniunctis pariter in hoſtem feramur. Et Deus pacis ac Princeps militiæ noſtræ aderit nobis, dabit'que lætiſſimam uictoriam, & cum gaudio inæſtimabili

uicto-

uictores ac triumphantes in regnum ſuum cœleſte introducet: ubi tunc deinceps nobis gratulantes, ipſum autem Regem & Imperatorem noſtrum epiniciis noſtris, Pſalmis, hymnis, & canticis, cum ipſis Angelorum choris coniuncti, laudantes exultabimus, gaudebimus ac triumphabimus uſq; in æternum. Hoc nobis largiatur omnipotens ille Deus Pater, cui cum unigenito Filio, ac Spiritu ſancto, laus ſit, gloria, honor, & Imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

COLONIAE AGRIPPINAE
Ex Typographia Gualtheri Fabricij I. C. Calendis Septemb.